

C A N O N L.

Nullum omnium, sive Clericum, sive Laicum, ab hoc deinceps tempore alea ludere. Si quis autem hoc deinceps facere deprehensus fuerit, si sit quidem Clericus, deponatur: Si verò Laicus, segregetur.

S C H O L I O N.

Ludus
alearum
veticus.

Etiam apud Gentiles alcarum usum fuisse reprobatum, multis probat Christianus Lupus in Scholio ad hunc Canonem; & quid posteriores Canones, ac præsertim Synodorum Belgarum super hac re decreta habeant, notavimus in *jure Eccl. tom. 1. part. 1. tit. 2. cap. 5.* Interim ex pœna ludentibus alea Clericis & Laicis hoc Canone inflicta, intelligimus, Patres apprehendisse lusum hunc & Clericis & Laicis admodum esse perniciosum & indecentem.

C A N O N LII.

Omnino prohibet hac sancta & universalis Synodus, eos, qui dicuntur, Mimos, & eorum spectacula; deinde venationum quoque spectationes, atque in scena saltationes fieri. Si quis autem præsentem Canonem contempserit, & se alicui eorum, quæ sunt vetita, dederit, si sit quidem Clericus, deponatur, si verò Laicus, segregetur.

S C H O L I O N.

Mimi sive Mimorum ludicræ artes sunt, (uti notavit hic Zonaras) qui "nunc Arabas, nunc Armenios, nunc servi personam, nunc quædam imitatione effingentes colaphis sibi invicem impactis strepituque incomposito risus immodicos movent, rudiorumque proinde animos quodam quasi furore percellunt."

Quenam
venatio-
num spe-
ctacula
vetita.

Circa venationum spectationes sive spectacula monet hic Zonaras: "Venationum verò spectacula, quorum spectationes hic prohibentur non Clericis dumtaxat, sed & Laicis, non ea intelligenda esse, cum feræ canum Ministerio, aut aliâ simili ratione captantur; nec enim spectaculi vicem, sed actionis potius cujusdam ea res obtinet. Verùm in magnis urbibus feræ bestię, Leones nimirum Urlique alebantur, quæ quidem cum statis temporibus producerentur in Theatrum, ibique vel cum hominibus aut captivis, aut rei capitalis damnatis committerentur, plures eo aspectu oblectari soliti sunt. Ea igitur spectacula, quippe sævitia astantium argumenta, qui alienâ clade ad suas ipsi voluptates abuterentur, vetat Canon."

Rationem prohibitionis præmisit ibidem Zonaras dicens: "non remissè aut dissolutè vitam instituere, sed eam, quæ sanctos viros decet, morum integritatem ac severitatem tueri, ex præscripto Evangelicæ disciplinæ fideles jubentur. Igitur ea omnia, per quæ animus minimè necessariâ remissione laxari, ejusdemque contentio dissolvi potest, undeque risus immodici & cachinnationes existunt, vetita hujus Canonis decreto atque interdicta fuere."

Notat Balsamon, hic non agi de Clericis aut Laicis, qui hujusmodi intersunt, (de quibus actum supra *Can. 24.*) sed de iis, qui his ludis & spectaculis exhibendis se dedunt, eorumque exercitium profitentur; quod gravius: ideoque hi simplici-

ter & indistinctè deponi aut segregari jubentur: Canon autem 24. Clericos & Monachos ad ea accedentes demum deponi jubet, si non cessent; scilicet postquam moniti fuerint.

Monet in Scholiis ad hunc Canonem Christianus Lupus, "hodiernos Latinæ linguæ professores adolescentulorum saltus tanquam præcipuum ornatum scenis suis intrudentes, graviter impingere in Regulas Christianas."

C A N O N LII.

In omnibus sancta Quadragesimæ jejunii diebus, præterquam Sabbato & Dominicâ & sancto Annunciationis die, fiat sacrum præsanctificatorum ministerium.

S C H O L I O N.

Jam pridem Græcos Quadragesimalis jejunii diebus uti præsanctificatis satis notum est. Hoc autem præsentem Canone præscribitur, ut in omnibus sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus fiat præsanctificatorum ministerium.

Missa
præsan-
ctificato-
rum.

Dicitur Missa ministerium vel Liturgia præsanctificatorum, sive antisantificatorum, vel etiam anticonsecratorum; quia dum ipsa Liturgia agitur, non consecratur corpus aut sanguis Christi; sed consecratis antecedentibus diebus utitur Sacerdos, eaque absomit, quæ, cum jam præsanctificata, sive anticonsecrata sint, nomen præsanctificatorum huic Liturgiæ sive Missæ dederunt.

Hinc in commentario hujus Canonis dicit Balsamon, "præsanctificatorum autem ministerium incruentum sacrificium non dicimus, sed oblationem prius oblatis & perfecti sacrificii sacrique mysterii."

Similiter Zonaras testatur, quòd diebus illis, quibus hoc præsanctificatorum ministerium agitur, "neque ullus tunc quidem sacrificii incruenti usus admittitur, sed eorum, quæ jam consecrata semel, atque altari admota sunt, oblatio iteratur."

Fatentur ergo Græci, panem semel oblatum & consecratum, rursus alio die, non quidem denuò consecrari; sed anticonsecratum & præsanctificatum denuò offerri: quemadmodum & in Ecclesiâ Latina ipso die Parasceves offertur panis consecratus sive præsanctificatus præcedenti Feriâ V.

Ritus horum præsanctificatorum ferè idem est apud Græcos, qui observatur apud nos Latinos in Cœna Domini, & die Parasceves. Sicuti enim apud Latinos in Cœna Domini, præter hostiam eo die à Sacerdote consumendam, consecrant & panem sive hostiam reservandam in diem sequentem, ut tunc denuò offeratur, & à Sacerdote sumatur; ita apud Græcos diebus Dominicis aut Sabbatis Quadragesimalibus, plures alii panes pro sequentibus diebus consecrantur; qui panes consecrati, post communionem in pixide ad id destinata asservantur, & in sanctuario reponuntur, quemadmodum apud nos hostia consecrata ad aliud altare in Cœna Domini defertur, ac ibidem in diem sequentem asservatur.

Cum autem Missa præsanctificatorum celebranda est, panis præsanctificatus tunc apud Græcos etiam præscripto ritu ex pixide acceptus ad sanctam mensam defertur; ritu tamen nonnihil à nostro ritu diverso.

Apud Græcos enim Diaconus supra caput suum discum cum pane consecrato fert; Sacerdos

verò in manibus calicem vini aquâ mixti non consecrati.

His actis & pane præsanctificato ad sanctam mensam delato, "nulla precatio ex mysticis & "sanctificanribus super præsanctificatis dicitur, "sed tantummodò Sacerdos, unam solamque de- "precatiois formulam ut dignus propositorum "particeps fiat, recitat: "uti scribit Michaël "Patriarcha Constantinopolitanus apud Leonem "Allatium.

Vinum mutari in sanguinem C. ipsâ præsanctificationis commixtione nonnulli Græci antumnant.

Hâc autem precatioe dictâ panis præsanctificatus in calicem mittitur; quemadmodum & apud nos particula hostiæ consecrati in calicem vini aquâ mixti non consecrati, immittitur.

Itaque nec apud Græcos in hâc Missa ulla fit consecratio; quamvis à recencioribus Græcis nonnulli sustinuerint, panis consecrati commixtione vinum non consecratum, absque ullis verbis consecrationis transmutari in sanguinem; ita enim loquitur citatus Michaël Patriarcha Constantinopolitanus apud Leonem Allatium in dissertatione de Missa præsanctificatorum, qui ibidem describens ritum præsanctificatorum ait: "Præsanctificatus in mysticum calicem injicitur, & sic vinum quod in eo est, in sanctum Domini sanguinem immutatur." Consonat Simeon Archiepiscopus Theffalonicensis in responsis ad Gabrielem Pentapolitanum scribens: "non invocatione Spiritûs sancti & illius signaculi, quæ in calice sunt, "in præsanctificatorum Missa sanctificantur, "sed participatione & unione vivifici panis, qui "vere Corpus Christi est."

Ex hâc quorundam Græcorum persuasione verisimiliter sensim invaluit, ut in Ecclesia Constantinopolitana panis præsanctificatus non tingeretur sacro sanguine, uti memoratus Michaël ejusdem Ecclesiæ Patriarcha testatur, dicens: "Ex panibus "hâc ratione perfectis, reponuntur quotquot occasio ususque extigit, perfecti, vivifici & variorum divinarum gratiarum pleni: illis licet creantur & sint ipsissimum vivificans Domini Dei & salvatoris nostri Jesu Christi corpus, nulla gutta divini sanguinis infunditur; qui sic reponuntur absque simili aspersione." Apud Leonem Allatium in citata dissertatione num. 18.

Præsanctificata sacro sanguine olim apud Græcos tin. gebantur.

At in Græcorum generali Euchologio expresse præscribitur, ut panis præsanctificatus priusquam reponatur, sacro sanguine tingi debeat, idque hoc ritu ibidem præscripto: "Tunc demum accipito sancto cocleari, dexterâ manu intingit illud in "sancto sanguine, sinistrâ autem manu accipit singulos panes, & profert sanctum coclear sancto sanguine tinctum, & admovet illud sancto pani "in formam crucis ad eam partem, in qua effigiata est crux."

Itaque admodum probabile est, hunc ritum omissum fuisse in Ecclesiâ Constantinopolitanâ, postquam ibidem invaluit opinio, quòd per immixtionem panis consecrati vinum in calice contentum sine ullis consecrationis verbis in sanguinem mutaretur. Verùm hanc Græcorum recenciorum opinionem tanquam commentitiam & noviter inventam, nulloque vel probabili innixam fundamento, multis refutat citatus Leo Allatius in citata dissertatione de Missa præsanctificatorum num. 19.

Missâ præsanctificatorum fiebat diebus jejuniarum

Ratio autem, ob quam Græci in diebus præsertim Quadragesimalibus utantur Missa præsanctificatorum communiter assignatur, quòd "Jejuniorum tempora mærori potissimum dicata, "expiandisq; intimo animi dolore cujusque criminibus constituta sint, Deo porrò sacrificare festi-

va celebritatis sit, ea verò celebritas hilaritatis atque lætitiæ. At quo pacto quispiam & mœregestima- re potest, & gaudio simul effundi? "Ita Zolium, naras hîc, cui Balsamon alique Græci passim consentiunt.

Hinc haud obscurum est, quare in præsentia canone excipiantur dies *Dominica & Sabbati*, atque *sanctus Annuntiationis dies*, (a) quia illis diebus apud Græcos non jejunatur: ideoque nihil verat integrum sacrificium cum lætitiâ iis diebus celebrari.

CANON LIII.

Quoniam spiritualis necessitudo seu affinitas, corporum conjunctione major est; in nonnullis autem locis cognovimus quosdam, qui ex sancto & salutari baptisate infantes suscipiunt, postea quoque cum matribus eorum viduis matrimonium contrahere, statuimus ut in posterum nihil fiat ejusmodi. Si quis autem post præsentem Canonem hoc facere deprehensi fuerint, ii quidem primò ab hoc illicito matrimonio desistant, deinde & fornicatorum pœnis subjiciantur.

SCHOLION.

Huic decreto verisimiliter occasionem dedit constitutio Justiniani relata in *Leg. 26. Cod. de nuptiis*, quâ decernitur, quòd ea persona omnimodo ad nuptias venire prohibenda sit, quam aliquis, sive alumna sit, sive à sacrosancto suscepit baptisate, hâc subjunctâ ratione: "Cum nihil aliud sic inducere potest paternam affectionem & justam nuptiarum prohibitionem, quàm hujusmodi nexus per quem Deo mediante animæ eorum copulatae sunt."

Licet in hac lege duntaxat agatur de nuptiis susceptoris cum susceptâ; nihilominus inducât hâc prohibitiõ & affinitate, pronum fuit, ut hæc conjunctio, ex hujusmodi, nexu, qui supra carnalem nexum extolli hic videtur, resultans, ad matrem susceptæ proles extenderetur.

Imò ex ratione in Canone allegatâ (quæ in substantiâ convenit cum ratione in citata Lege propositâ) haud difficile fuit hujus spiritualis affinitatis impedimentum, ad exemplum consanguinitatis carnalis, in plures personas & pradus protendere, uti latius ostende in *jure Eccl. tom. 1. part. 2. sect. 1. tit. 13. cap. 6.* ibi unâ notavi quomodò hoc impedimentum per Synodum Tridentinam fuerit restrictum.

CANON LIV.

Cum divina scriptura nos aperte doceat: non ingredieris ad omnem consanguineam carnis tuæ ad relevandam ejus turpitudinem, divinus Basilus nonnullas prohibitas nuptias in suis Canonibus enumeravit, multis silentio præteritis, & his utrisque nobis utilitatem attulit. Turpium enim nominum multitudinem evitatâ, ne verbis orationem pollueret, generalibus nominibus impuritates complexus est, per quas legibus veritas nuptias nobis in summa ostendit. Quoniam autem propter ejusmodi silentium, & quòd non discerni posset illicitarum nuptiarum prohibitio, seipsam natura confudit: nobis

[a] Ex eo Canone LII. constat à Græcis seculo septimo celebratum fuisse festum *Annuntiationis*; de antiquitate hujus festi doctè disseruit Dominus Van-Elpen tom. 1. part. 2. sect. 2. tit. 2. de celebratione festorum c. 1. p. 641.

visum est ea paulò apertius exponere, ab hoc deinceps tempore decernentes, ut qui cum patru sui filia matrimonii societatem inierit, vel pater & filius, qui cum matre & filia; vel cum duabus puellis sororibus, pater & filius, vel cum duobus fratribus mater & filia, vel fratres duo cum duabus sororibus, in septennii Canonem incidant; iis procul dubio separatis à nefario contubernio.

SCHOLION.

Impedimentum consanguinitatis & affinitatis.
PER canones S. Basilii, quorum hinc meminit Synodus, intelligitur ejusdem sancti epistola ad Diodorum Tarsensem Episcopum. Interrogaverat quispiam, an fas sit de mortuæ ejus uxoris fororem in matrimonium ducere? Quod planè illicitum esse ibidem ostendit Basilus, eaque occasione de illicitis nuptiis inter affines fusiùs discurret; atque in ipso epistolæ exordio hoc notandum ponit principium & fundamentum: "Primum ergò quod & in hujusmodi rebus maximi momenti est, consuetudinem apud nos objicere possumus legis vires habentem, eo quòd à sanctis viris ritus nobis traditi sunt. Ea autem est ejusmodi: si quis unquam impuritatis affectu superatus, ad inhonestam duarum sororum societatem lapsus sit, nec hoc matrimonium existimandum, nec eos ad Ecclesiasticum cœtum priùs admittendos, quàm à se invicem separentur: quare & si nihil aliud dici posset, ad mali vitiationem sufficeret consuetudo."

Post hæc probat, in lege veteri nihil occurrere, quod hujusmodi matrimonio favet; imò & in lege veteri hoc matrimonium vetitum fuisse contendit: "Illud enim (ait) non ingredieris ad quemvis consanguineum carnis tuæ, ad revelandam eorum turpitudinem, hoc quoque consanguinitatis genus comprehendit. Quid enim potest homini suâ uxore magis esse consanguineum, vel potius suâ carne (non sunt enim amplius duo, sed una caro) quare per uxorem soror ejus transit ad viri consanguinitatem."

Hæc epistola S. Basilii, inter Canones ejusdem Doctoris commentariis Theodori Balsamonis aliorumque Græcorum illustratos, & à Guiljelmo Beveregio *tomo 2. pandectarum canonum Ecclesiæ Græcæ nuper insertos*, constituit *Canonem 88.* ejusque meminit sive ad eam epistolam remittit ipsemet Basilus *Can. 23.* epistolæ canonicæ ad Amphiloichium dicens: "de his autem qui duas sorores uxores ducunt, vel eis, quæ duobus fratribus nubunt, à nobis edita est epistola, cujus exemplum tuæ pietati misimus. Qui autem sui fratris uxorem accepit, non priùs admittatur, quàm ab eâ recesserit."

Synodum Trullanam impedimentum affinitatis longiùs protendere, quàm ipse Basilus in hoc canone aut epistolâ expresserat; ex canonis contextu manifestum est: & ipsa Synodus non obscure fateretur, quemadmodum & in Ecclesiâ Latinâ latè admodum protensum fuisse notavimus in *jure Eccles. tom. 1. parte 2. sect. 1. tit. 13. cap. 5.* ubi videri potest ad quos terminos hodie apud nos restrictum sit.

Per *Canonem septennii* hinc intelligitur *Can. 77.* S. Basilii; quo declarat, à Patribus canonicè statutum esse, ut ii qui sibi legitimè copulatam dimittunt & aliam ducunt, "Anno desceant, biennio audiant, triennio substernantur, septimo cum fidelibus consistent: & ità oblatione digni habeantur, si cum lacrymis pœnitentiâ egerint."

Dein Canone 78. subjungit Basilus: "Eadem autem forma observetur & in iis qui duas sorores in matrimonio accipiunt, etsi diversis temporibus."

Hujus igitur canonis pœnam seu pœnitentiam Patres hujus Synodi extenderunt ad omnes, qui nuptias contra prohibitionem hoc canone expressam, contraxerint; quod & Aristenus observavit.

CANON LV.

Quoniam intelleximus in Romanorum civitate, in sanctis quadragesimæ jejuniis, in ejus Sabbatis jejunare præter Ecclesiasticam traditam observationem: sanctæ Synodo visum est, ut in Romanorum quoque Ecclesia inconcussa vires habeat Canon qui dicit: Si quis Clericus inventus fuerit in sancto die Dominico vel Sabbato jejunare, præter unum & solum, deponatur: si autem Laicus, segregetur.

SCHOLION.

CANON, quem hinc inculcat Synodus, quemque etiam ab Ecclesiâ Rom. inviolabiliter observari præcipit, est *LXV.* inter *Apostolicos*; eumque ab iis Apostolis editum fuisse Patres hujus Synodi supponunt; ideoque acriùs quàm oportuit, consuetudinem Romanæ Ecclesiæ jejunandi die Sabbati reprobasse videntur. Unde & hic unus est ex Canonibus, quos Ecclesiâ Rom. nunquàm recepit. Repete Scholion ad dictum *LXV.* Canonem Apostolorum.

Canon ab Ecclesiâ Rom. non receptus circa jejunium diei Sabbati.

CANON LVI.

Similiter accepimus, in Armeniorum regione, & in aliis locis, in Sabbatis & Dominicis sanctæ Quadragesimæ quosdam ova & caseum comedere. Visum est ergo & hoc, ut omnis Dei Ecclesia, quæ est in universo terrarum orbe, unum ordinem sequens, jejunium perficiat, & abstineat sicut ab omni mactabili, sic ab ovis & caseo, quæ quidem sunt fructus & fetus eorum à quibus abstinemus. Si autem hoc non servaverint. Si sint quidem Clerici, deponantur: si autem Laici, segregentur.

SCHOLION.

OSTENDIT hic canon, veteres Græcos, licet Quadragesimæ diebus Dominicis & Sabbatis non jejunarent, à carnibus tamen abstinuisse; credidistequè abstinentiam à carnibus inferre necessario abstinentiam ab iis omnibus, quæ sementinam ex carne trahunt originem: quod & Latinos olim in Quadragesimâ observasse; & etiamnum in quibusdam regionibus in usu esse notum est. Vide *Can. 6. dist. 4.* ex responso S. Gregorii Papæ ad Augustinum Anglorum Episcopum.

Quæ ex carne originem trahunt, diebus jejuniorum vitata.

Exat ad calcem Balsamonis commentariorum in canones in editione Paris. Niconis tractatus de Armeniorum, qui hinc memorantur, religione; quem integrum exhibuit Beveregius in notis ad hunc canonem. In hoc autem tractatu de his Armeniis scribitur: "Concedunt autem ut in Sabbatis & Dominicis sanctæ Quadragesimæ ovum & caseum & butyrum, & imprimis eorum universalis Episcopus: & est apud eos canon qui dicit: si quis butyrum, caseum & ovum, vino & oleo non æquivalere existimant, anathema sit." Plura ibidem videri possunt in quibus tam circa fidei

circa fidei quàm disciplinæ puncta ab Ecclesiâ recederent hi Armeni; quorum hîc canon meminit.

C A N O N LVII.

Quòd ad altare mel & lac offerre non oportet.

S C H O L I O N.

Mel aut lac ad altare non offerendum.

In die Paschæ fieri permittit Canon XXXVII. Africanus

PRO elucidatione hujus Canonis, repetenda quæ notata sunt in Scholiis ad Canonem 3. vulgò Apostolorum; item ad Canonem 27. Codicis Africani; necnon ad Canonem 28. præsentis Synodi.

Præsens Canon simpliciter & absolute omnem mellis & lactis oblationem ad altare interdiceret videtur; atque ita improbare citatum Canonem 37. Codicis Africani, qui permittit lac & mel uno die solemnissimo in infantium mysterio offerri; modò tamen suam habeant propriam benedictionem, ut à Sacramento Dominici corporis & sanguinis distinguantur.

Per unam diem illum solemnissimum intellexerunt Patres Africani, solemnitatem Paschalem, quando Neophytis de fonte baptismatis egredientibus, tanquam infantibus in Christo renatis, gustandum dabatur lac & mel, de quo ritu apud Latinos suo tempore adhuc vigente scribit S. Hieronymus in commentariis Isaia cap. 55.

„Mos in Occidentis Ecclesiis hodie usque servatur ut vinum lacque tribuatur.“ Et in libro contra Luciferanos, inter ea quæ per traditionem observantur in Ecclesiis pro exemplo adfert. „Velut de sancto fonte egressos lactis & mellis prægustare concordiam ad infantia significationem.“

Plura de hoc ritu, qui multis seculis in Ecclesiâ Latinâ viguit, notavi in jure Eccles. tom. 2. part. 2. sect. 1. tit. 2. cap. 2. permittunt igitur Patres Africani, ut ob hunc ritum, quem mysterium infantium vocant, mel & lac in altari uno die Paschatis offerantur, & specialem ac propriam benedictionem accipiant.

Canon III Apost. simpliciter id verat.

At Græci pressius & ad literam in hærentes Canonem 3. vulgò Apostolorum, vetanti offerri in altari alia quàm Dominus ordinaverit, mel & lac offerri vetuerunt, Latinorum ritum canone carthaginensi probatum, & ab Ecclesiâ Latinâ ubique receptum improbant, quasi ab Apostolico Canone devium, uti notat Lupus.

Nec mirum Græcos tam tenaciter canonem Apostolorum inhære: nam ut supra notatum est, Græci, tempore hujus Synodi, Canones vulgò Apostolorum ab ipsis Apostolis conditos credidisse videntur; & consequenter, quidquid iis continebatur ab Apostolis traditum esse; ideoque & quidquid his Canonibus contrarium ipsis videbatur, passim reprobarunt.

C A N O N LVIII.

Nemo eorum, qui sunt in ordine Laicorum, divina sibi mysteria impertiat presente Episcopo vel Presbytero vel Diacono. Qui autem tale quid ausus fuerit, ut præter ea que sunt constituta faciens unâ septimanâ segregetur; & ex eo doceatur non amplius sapere, quàm sapere oportet.

S C H O L I O N.

Laici S. commu-

Primis seculis usitatum fuisse, ut fideles secum domum referrent sacram Eucharistiam;

atque domi propriis manibus eam sumerent, non est: constatque id Anachoretis & Monachis, deserta incolentibus usitatum fuisse, uti videre licet apud Cardinalem Bona lib. 1. Rerum Liturg. cap. 17.

Porrò ex hæc domesticâ communionem fluxisse videtur abusus, qui hoc canone notatur, quod scilicet quidam in ordine Laicorum etiam in publicis conventibus divina sibi mysteria impertirent presente Episcopo vel Presbytero, vel Diacono; quibus tanquam Præsidentibus in publicis Ecclesiæ conventibus, mysteriorum Dei dispensatio competit; de quibus jam pridem dixit Tertullianus libro de corona militis cap. 3. „Eucharistiæ Sacramentum non de aliorum manu, quàm Præsidentium sumimus.“

Non itaque hîc Laici culpantur, quia manu suâ Eucharistiam contingerent, & ori suo admovent (quod olim usitatum fuisse monet Cardinalis Bona loco citato) sed quia superbiendo, sacris initiatorum Præsidentium officium sibi arroganter usurparent. Hoc itaque Canone similitum superbia retunditur; uti & indicant hæc finalia Canonis verba: *ex quo doceatur non amplius sapere quàm sapere oportet.*

C A N O N LIX.

In ade oratoria, quæ est intra domum, baptismus nequaquam peragatur: sed qui illuminatione ab omnibus sordibus aliena digni habendi sunt, ad Catholicas Ecclesias accedant, & hoc illic munere perfruantur. Si quis autem quæ à nobis constituta sunt, non servare convictus fuerit, si sit quidem Clericus, deponatur: si autem Laicus, segregetur.

S C H O L I O N.

Baptismum in catholicis sive communibus Ecclesiis, seu conventibus celebrandum esse variis canonibus decretum fuit; & præsentis canonis rursus confirmatur: & merito. Scimus enim, quàm facile in sacrorum mysteriorum dispensationem abusus irrepant; & inordinata atque à dignitate ac sanctitate horum mysteriorum aliena committantur, dum ea occultè ac privatis in oratoriis & locis à Sacerdotibus dispensantur.

Hinc & disciplina hæc usque ad nostra etiam tempora conservata & sæpius innovata fuit juxta Clementinam unicam de Baptismo, camque in Synodis & ritualibus nostris Belgicis sæpius renovatam, annotavi in jure Eccles. tom. 1. parte 2. sect. 1. tit. 1. cap. 2.

Quod autem præsens Synodus, Clericum contravenientem deponi, Laicum verò segregari jubet, id intelligi debet, de iis, qui propriâ auctoritate & sine necessitate id tentare præsumperint; uti hîc notat Zonaras.

C A N O N LX.

Cum clamet Apostolus, quòd qui Domino adhæret, unus est spiritus; clarum est quòd qui etiam cum contrario in familiaritatem ac consuetudinem, cum illo conjunctione unum sit. Eos ergo, qui se Demone correptos esse simulant, & morum improbitate eorum figuram & habitum simulatè præ se ferunt visum & omnimodo puniri, & ejusmodi afflictionibus laboribusque eos subjici oportere, quibus ii qui verè à Demone

*Dæmonis operatione liberentur, jure subji-
ciuntur.*

SCHOLION.

Contra eos qui se à Dæmone obse-
sant. **A**git præsens Canon de his, qui se à Dæmone correptos esse simulabant, & morum improbitate eorum figuram & habitum simulatè præ se ferebant.

Supponit igitur Canon, quòd reipsà nonnulli à Dæmone correpti essent; quique & figurâ & habitu se tales ostenderent: quos hi simulatores & illusores imitabantur.

Insuper supponit Canon, quòd hi illusores non tantùm simulatè præ se ferrent figuram & habitum Energumenorum; sed etiam cum Dæmone inirent familiaritatem & consuetudinem; atque ità cum eo unum fierent: ideoque, " & cum malâ Satanicâ conscientiâ quædam Dæmoniacâ, instar Vatum Gentilium prædicabant. " Uti monet Balsamon hîc.

Deplorat autem ibidem Balsamon, " quòd videret ejusmodi complures civitates obeuntes & non puniri, sed ut sanctificatos à quibusdam, obviis ulnis, excipi. "

Monet autem Zonaras hîc, quòd homines quidam se à Dæmone correptos etiam suo tempore simularent, ut hâc simulatione ad quæstum abuterentur: quod & modò contingere haud dubiè sapius deprehenderetur, si seriò in eos, qui à Dæmone se possessos asserunt, inquireretur; & pro ut oportet, examinarentur.

CANON LXI.

*Qui variis seipsos tradiderunt, vel qui Hecaton-
tarcha seu Centuriones dicuntur, vel aliis ejus-
modi, ut ab iis discant, si quid sibi revelari ve-
lint, convenienter iis, quæ de ipsis à Patribus
constituta sunt, sexennio Canonis subjiciantur.
Ipsi autem eos quoque subjici oportet, qui ur-
sas, vel ejusmodi animalia ad ludum & simpli-
ciorum noxam circumferunt, & fortunam ac-
fatam, & genealogiam, & quorundam ejus-
modi verborum multitudinem ex fallacia impos-
turaque nugis proferunt: eosque qui nubium
expulsores, & incantatores, & amuletorum
præbitores, & vates appellantur. Eos autem,
qui in iis persistunt, & non ab ejusmodi pernicio-
sis Gentilibusque studiis avertuntur & au-
fugiunt, Ecclesiâ omnino exturbandos decerni-
mus, sicut & sacri Canones dicunt. Quæ enim
est luci cum tenebris communicatio? ut ait
Apostolus: vel quæ Templo Dei cum idolis
consensio? vel quæ fidei cum infidei pars est?
quæ autem Christo est cum Belial concordia ac
conventio? 2. Cor. c. 6.*

SCHOLION.

Contra eos, qui
varos, pu-
tâ palmæ
inspecto-
res con-
sulunt. **D**E variis præstigiis & magicarum artium speciebus agit præsens Canon, eosque qui iis utuntur, aut se addixerint utentibus, punit.

Imprimis qui variis seipsos tradiderunt, vel iis, qui Centuriones dicuntur, vel aliis hujusmodi, ut ab illis discant, si quid sibi revelari velint, convenienter iis, quæ de ipsis à Patribus nuper constituta sunt, sexennii Canonis subjiciuntur, id est, sexennali pœnitentiæ subjici debent.

Vates dicuntur, ait hîc Balsamon, " palmæ inspectores, iique qui in pelve divinant, & ii qui per sacrificia Patrem suum Sathanam de re

„aliquâ interrogant: & omnes, ut semel dicam, „qui per quædam signa ex suggestione Dæmoniacâ scire futura proficentur, & se Dæmoni addicunt. "

"Centuriones sunt (ait Balsamon) qui à nobis „Primicerii dicuntur; erant autem antiquitùs homines senes, utique prudentiores, & se reliquis consulere præ se ferentes; qui quidem per execrabiles hujusmodi operationes simpliciores seducerent, ut pseudothei, colebantur. "

Qui igitur similibus se addixerint, ut ab illis discant, si quid sibi revelari velint, sexennali pœnitentiæ subjiciuntur.

Si Episcopi & Pastores sedulò invigilarent, experirentur, nec hodie deesse hujusmodi hominum genus; atque hos à simplicioribus futurorum cupidis sapius consuli, ut ab illis discant, si quid sibi revelari velint.

Vidimus hîc non ita pridem viros & mulieres, qui se *Aegyptios* dicebant, per Belgium vagantes, proficentes *Chyromantiam*, id est futurorum prædictiones ex inspectione manuum; præsertim circa annos vitæ, faustorum aut infaustorum eventus, quos simplex populus futurorum curiositate ductus & nimium credulus & superstitiosus consulebat. De quo vide *jus Eccles. tom. 2. part. 3. tit. 4. cap. 3. num. 48.* ubi unâ notavimus, Carolum V. & Philippum II. suis respectivè edictis vetuisse, hoc hominum genus in his Provinciis versari; uti & eorum assecras, vel qui se tales dicerent, eorumvè habitu uterentur, sub pœnâ confiscationis corporis & bonorum.

Secundò subjicit præsens Canon sexennali pœnitentiæ eos qui *ursas vel hujusmodi animalia, ad ludum & simpliciorum noxam circumferunt.* " Suf-
Contra magicos
serarum
circumdu-
tores.
pensas enim (ait Zonaras hîc) de corporibus ferarum tincturas, detractosque iisdem pilos pro amuletis contra morbos & fascinationes mulierculis tradunt: illæque pretium quasi accepto necessario medicamento, persolvunt, infantesque suos, veluti probato ad calamitates avertendas remedio, feræ tergo imponi rogant. " Simili colore hosce ursarum circumductores depingit Balsamon.

Tertiò nubium persecutores eidem pœnitentiæ subjicit Canon, hi autem dicuntur, " qui, quæ multis ignota sunt, ex nubibus prænunciant. " Ut scribit Balsamon addens: " Nonnulli enim nubes aspicientes, & præcipuè quando sole Occidente sunt maximè candentes, se ex iis scire veritatem nugantur: & ex hâc quidem nube, quæ columbæ (Græcè *πρωτορα* dictæ) est similis, dicunt *πρωτορα*, hoc est casum vel eventum interroganti imminere; ex alterâ, quæ hominiensem intentanti similis est, bellum significant; ex aliâ quæ est Leoni similis, Imperatoris mandatorum executionem prædicant, & alias quasdam alienas nugas. "

Deniquè eidem pœnitentiæ addicit Canon eos, qui incantatores, & amuletorum præbitores, & vates appellantur.

De his amuletorum præbitoribus & incantatoribus agit S. Chrysostomus in homiliâ de *statuis*, ubi respondet iis, qui has incantationes justificare volebant; quia quæ incantat si sit mulier Christiana, & nihil aliud quàm Dei nomen loquatur: respondet Chrysostomus: " propterea ergo eam magis odi & aversor, quæ Dei nomine in eo abusa est, quòd cum dicat, se Christianam, ea quæ sunt Græcorum ostendet. "

" Amuletorum præbitores dicuntur (inquit Balsamon) qui fraude Dæmonis iis, qui à se amuleto-
Contra
„dec-

rùm Præ-
bitores. „decipiuntur, sacculos quosdam ex sericis filis
„contextos, qui & *ασογία* dicuntur, præbent,
„quæ aliquando quidem intus habent scripturas,
„aliquando verò falsa quædam alia, & quæ-
„cunque inciderent. Dicunt autem hæc juvare, si
ex collis eorum qui illa accipiunt, perpetuò pen-
deant, ad omne malum vitandum.“

Lev' us pu
niendi qui
pe cata ul-
trò confi-
tentur.

Observandum in præsentî Canone monet Bal-
samon, quòd leviùs puniantur, qui peccata ultrò
confitentur, & ultrò & spontaneè convertuntur;
quàm qui in malo perseverant, & inviti ad id quod
est melius traducuntur, graviter puniantur.

Nam qui ad vates similesque accesserit, & pec-
catum confessus est, per *sexenni* segregationem
punitur, vel etiam mitius, si Episcopo videbitur:
qui verò in malo persistit, & ab ejusmodi pern-
ciosis Gentilibusque studiis non avertitur, & au-
fugit, *Ecclesià omninò exturbandum* Synodus de-
cernit; sicut, ait, *sacri Canones dicunt.*

Porrò ex gravitate pœnæ sive pœnitentiæ, quæ
hîc infligitur, intelligere possumus, Patres non
leve hoc peccatum existimasse.

Seduli ac vigilantes Pastores passim deplorant,
plurimas adhuc hodie superesse similes supersti-
tiones, quibus Diabolus simplici populo imponit.
Optandum, ut iis eradicandis, Episcopi & civiles
Magistratus Pastoribus sedulò assisterent, opem-
que ferrent.

Regulas ad dignoscendum nùm quid sit super-
stitiosum, ex Synodis Belgicis proposui in *jure*
Eccles. tom. 2. parte 3. tit. 4. cap. 3.

CANON LXII.

*Kalendas quæ dicuntur, & vota, & brumalia quæ
vocantur; & qui in primo Martii mensis die
fit, conventum ex fidelium universitate omnino
tollî volumus: sed & publicas mulierum salta-
tiones multam noxam exitiumque afferentes:
quin etiam eas, quæ nomine eorum qui falsò
apud Gentiles Dii nominati sunt, vel nomine
virorum ac mulierum fiunt, saltationes ac my-
steria more antiquo & à vita Christianorum
alieno, amandamus & expellimus; statuentes,
ut nullus vir deinceps muliebri veste induatur,
vel mulier veste viro conveniente, sed neque co-
micas, vel satyricas, vel tragicas personas in-
duat; neque execrandi Bacchi nomen, uvam
in torcularibus exprimentes, invocent; neque
vinum in doliis effundentes, risum moveant,
ignorantiâ vel vanitate eâ, quæ ab insanâ im-
postura procedunt, exercentes. Eos ergo qui
deinceps aliquid eorum, quæ scripta sunt, ag-
gredientur, ubi ad horum cognitionem perve-
nerint, si sint quidem Clerici, deponi jubemus:
si vero Laici, segregari.*

SCHOLION.

Gentiliù
festivita-
tes caven-
dæ; im-
primis
Calenda-
rum Ja-
nuarii.

MUltæ hoc Canone Gentilium reliquiæ, quæ
à Christianis frequentabantur, proscribuntur.
Primò quidem nonnulla festa à Gentilibus con-
stituta, & sensim à fidelibus Christianis recepta,
abolentur.

Occurrit primò festum *Kalendarum*, hoc est,
publicæ illius ac superstiosæ lætitiæ, quas *Kalen-
dis* Januarii, quibus annus aperitur, exhibuere pri-
mùm Gentiles, usurpavere postmodum Christia-
ni; & quas tam hi quàm illi indecoris choreis, mu-
lierum que aut ferarum assumptis formis & vesti-
bus, fœdabant; uti pluribus ostendit du Cange
in Glossario, verbo *Kalenda*.

Balsamon quoque scribit, festum hoc primis

Januarii diebus jampridem apud Romanos fuisse
celebratum, & quædam indecora fuisse admixta:
„quod etiamnum fit (ait) à quibusdam rusticis, eo
„quòd luna tunc temporis renovetur, & ejus
„fundamentum ab hujus mensis principio statua-
„tur, & quòd existiment, se lætè ac jucundè to-
„tum annum transacturos, si in ejus principio fe-
„stum celebraverint.“

Quin & sæculo VIII. à quibusdam festum hoc
etiam Romæ celebratum fuisse, habemus ex Epi-
stolâ Bonifacii Archiepiscopi Moguntini ad Za-
chariam Papam *cap. 6.* scribit enim, „quosdam
„affirmare se vidisse annis singulis in Romanâ ur-
„be, & juxta Ecclesiam S. Petri, in die vel nocte
„quando *Kalendæ Januarii* intrant, *Paganorum*
„consuetudine choros ducere per plateas, & accla-
„mationes ritu Gentilium, & cantationes sacrile-
„gas celebrare, & mensas illâ die vel nocte dapibus
„onerare, & nullum de domo suâ vel ignem, vel
„sfermentum, vel aliquid commodi vicino suo
„prestare velle.“

Ut autem Zachariam Papam ad extirpandas
Gentiles fœditates induceret, ait: „Quia carnales
„homines idiotæ, Alemanni, vel Baioarii, vel
„Franci, si juxta Romam urbem aliquid fieri vi-
„derint ex his peccatis quæ nos prohibemus, li-
„citur & concessum à Sacerdotibus esse putant:
„& dum nobis improprium deputant, sibi scan-
„dalum vitæ accipiunt.“

Zacharias Papa respondens Bonifacio non ne-
gat, similia Romæ servari; sed addit: *hoc est nobis*
& omnibus Christianis detestabile, & perniciosum
esse judicamus.

Asserit insuper, quia hæc rursus suo tempore
repullulabant, se à die quâ ad Pontificatum fuit
assumptus, *illicò omnia illa amputasse.*

Verisimiliter alludit hîc Zacharias ad Conci-
lium Romanum anno 743. ipso præsentè celebra-
tum, ubi *Can. 9.* statuitur: „Ut nullus *Kalendas*
„Januarias & Bruma colere præsumperit, aut
„mensas cum dapibus in domibus præparare, aut
„per vicos & plateas cantationes aut choros duce-
„re, quod maxima iniquitas est coram Deo, ana-
„thema sit.“

Extat apud Gratianum *caus. 26. q. 7. Can. 14.*
in antiquis nempe editionibus ante Correctionem
Rom. at in correctis nonnihil aliter, quàm in
Concilio Romano, uti monet Antonius Augu-
stinus *lib. 2. de emend. Grat. dial. 1.* ibidem refe-
rens ipsum Concilii Romani decretum; in quo
pro voce *Bruma*, legitur *Broma*; quæritque
Antonius Augustinus, „quid vox *Broma* (a) si-
„gnificet? an pro *Bruma* posita sit? respondet-
„que *capite 26.* sextæ Synodi repetitæ in Trullo
„*Brumalia* prohibentur, quæ videntur esse à
„*Bruma* dicta: incidere autem *Bruma* solebat
„in Saturnalibus diebus non longè à Kalendis Ja-
„nuariis.“ Hæc ille.

Similiter du Cange suo Glossario, verbo
Bruma,

(a) Erasmus *Chil. II. Cent. VI. col. 478.* arbitratur
Bromon esse quoddam hordei genus. Theoph. astus *lib.*
8 de Plantis Bromon collocat inter ea quæ ponè Sylvestria
sunt & immitia. Plinius potissimum usum eju. generis pu-
tat, quòd illius spuma cutem fœminarum in facie nutrit.
Alii existimant *Bromon* fu. sse potius quoddam genus ex
leguminibus cœctum, quod inopia vini repertum fuit in
his regionibus quæ vitem tunc non ferebant; unde illa-
rum regionum populi Bacchum n. cupabant Bromium
vel Bromum, ut indicare videtur E. igr. amma quòd Ju-
liano Imperatori tribui solet. Quapropter verisimile est
in istis regionibus dies, in quibus populi Bromio plus
æquo indulgebant, fuisse *Broma*, aut Bromos nua-
cupatos.

Quid
Bruma &
Bruma-
lia?

Bruma, docet, *Brumalia*, de quibus in nostro Canone, derivari à *Brumâ*, seu *Hieme*, quâ tempestate hoc festum celebratur. Veteres enim uti notat Scaliger *lib. 2. de emendat. temp.* à *Brumâ* tempora sua ordiebantur, & hos secuti Romani: quod facilius ex decrementis umbræ horas observarent, *Brumæ* confecto die, quàm ab incrementis.

Bacchanalia. Observat insuper ibidem du Cange, quod, "ab his *Brumalibus*. fortè fit vox Belgis & Picardis frequens, quâ, qui se inero vel Cervisiâ ingurgitant, *Bromardiers* vocant (nos hîc Brabantini *Brommers* dicimus) quod hîc festis agitari solebant crebra convivium, in quibus Baccho indulgebatur."

Notat denique Balsamon, *Brumalia* fuisse festum quod fiebat à Gentilibus pro *Baccho*, vini, ut impiè illi dicebant, conservatore; est enim *Bromius* Bacchi epitheton. (b)

Quid vota? Inter Kalendas Januarias & *Brumalia* interposita leguntur in hoc Canone ex editione Gentiani Herveti hæc verba & *vota*, quæ similiter videntur significare festum aliquod, ritum Gentilem redolens.

Et sanè in Capitulari Pipini Regis Italiæ anni 793. cap. 32. apud Baluzium *tomo 1. Capitularium* legitur. "De pravis illis hominibus, qui *Brumaticos* colunt, & de hominibus qui subtus *Maida* cereas incendunt, & *votos* vovent, &c." Hîc videmus *votos* seu *vota* cum *Brumaticis* sive *Brumalibus* poni: quare non sine fundamento opinatur du Cange in suo Glossario, verbo *votum*, "nomine *votorum* hic designari diem festum Romanorum tertio nonas Januarii celebrari solitum, qui in Calendario Bucheriano *votorum nuncupatio* appellatur, interdictus Canonibus, quod Paganismum redoleret."

Nequaquam silendum, apud Græcos tam in Canone, quàm in eorum commentariis pro voce *vota*, legi *Bota*, quâ, teste Balsamone, significatur festum, "quod fit pro falso nominato *Deo Pane*, qui, ut Græci nugabantur, pecoribus, scilicet ovibus, & reliquis animalibus prospicit, & eorum curam gerit."

Gentilis festivitas mense Martio. Addit ibidem Balsamon: "mense autem Martii fiebat magna Græca concio, sive universalis conventus, propter bona temporum & aeris temperiem; quo tempore etiam indecoræ saltationes à quibusdam mulierculis & viris fiebant."

Hæc & similia tanquam Gentilismum sapientia, & scditibus ac inhonestis impudicisque ritibus plena, hoc Canone, multisque aliorum Conciliorum Canonibus, interdicta sunt; nec sic tamen radicatus extirpari potuerunt.

Festum fatuorum. Et quidem nominatim de *Kalendis* Januarii notat du Cange in suo Glossario, verbo *Kalenda*, quod "licet ab Ecclesiâ non semel proscripæ fuerint; indictis ad hanc diem jejuniis, & Litaniis, de quibus suo loco, quibus eæ quodammodo expiarentur, & ut ludicræ & impiæ festivitatis loco, vera ac solida succederet; non potuerunt tamen tam altè radicatæ prorsus evelli; adeo ut extremis etiam temporibus plus solito vires acceperint, & non à sæcularibus dumtaxat, sed & ab ipsis Episcopis & Sacerdotibus legantur usurpatæ, undè ejusmodi festivitati festi *Hypodiaco-* *norum* nomen inditum; non quod reverâ soli

(b) Festum *Bromæ* seu *Brumæ* 12. sæculo invitis Canonibus celebratum fuisse testatur Gratianus, ut observat D. Van Espen *Brevi Commentario in 2. partem Gratiani caus. 26. q. 7.*

"Subdiaconi has scelestas choreas ducerent, sed quod hæc joculari appellatione nostri judicare voluerint, festivitatem hanc fuisse ebriorum Clericorum, seu Diaconorum: id enim evincit vox *Soudiacres*, id est, ad litteram *saturi Diaconi* quasi *Diacres saouls*."

Hoc festum, quod & *fatuorum* dictum fuit, perseverasse in Galliâ usque ad medium sæculi 15. constat ex epistolâ Facultatis Theologicæ Parisiensis ad Galliæ Episcopos, quâ hoc festum uno consensu condemnant, in quo (ut ipsi scribunt) "divini officii tempore larvari, monstruosi vultibus, aut in vestibus mulierum aut Leonium, vel histriionum, choreas ducebant, in choro cantilenas inhonestas cantabant, offas pingues supra cornu altaris juxta celebrantem Missam comederant, ludum Taxillorum ibidem exarabant, Thürificabant de fumo fœtido ex corio veterum sotalarium, & per totam Ecclesiam currebant, saltabant, &c."

Hoc festum tamen tot scditibus & ineptiis refertum à multis sustinebatur unico hoc fallaci argumento, quo & hodie perniciosissimi inveterati abusus sustinentur: *Prædecessores nostri qui erant notabiles viri reputati, istud permiserunt, sufficit nobis vivere ut ipsi: respondit Facultas: procul dubio istud argumentum Diabolicum est, & infernalis hæc persuasio: vos illorum exitum ignoratis, an bonus vel malus fuerit.* Extat hæc epistola in appendice operum Petri Blesensis ultimæ editionis. Utinam ipsa serio legeretur & expendereur ab iis, qui à praxi prædecessorum suorum, quorum exitum ignorant, quidvis, modo invaluerit, & sibi commodum videant, mordicis propugnans, licet in se apertè injustum & inhonestum.

Sanè nec desunt hodie in multis regionibus & Ecclesiis horum festorum fœtidæ reliquiæ, quibus extirpandis meritò invigilarent & allaborarent Episcopi & Pastores; non attendendo ad argumentum ab inveterato usu, aut prædecessorum factum vel silentio peti consuetum.

Porro nulla penè apud Gentiles publica lætitiæ & gaudii festivitas exhibebatur, quin plurima lasciviæ incitamenta intermiscerentur, puta mulierum propudiosæ saltationes, necnon vestium immutationes, ut hoc pacto minore cum dedecore scelera perpetrari possent.

Hæc autem Gentilium festivitates cum suis etiam ritibus ad Christianos derivatæ fuerunt & ipsâ naturæ corruptione juvante, à Christianis carnalibus gentiliter viventibus conservatæ.

Undè in præsentis Canone prohibet Synodus, *publicas mulierum saltationes, multam noxam exitiumque afferentes*: "quibus videlicet spectandis homines ad libidinem incitantur," inquit Zonaras hîc.

Statuit deinde Synodus, ut *nullus vir deinceps muliebri veste induatur, vel mulier veste viro conveniente.* Hæc quippe vestis simulatione, libertas admodum magna & opportuna flagitia perpetrandi suppeditatur.

Legitur in Concilio Bracarensi II. jampridem decretum: "si quis *balationes* ante Ecclesias sanctorum fecerit seu qui faciem suam *transformaverit*, in habitu muliebri & mulier in habitu viri, emendatione pollicitâ, *tres annos pœniteat*."

Denique vult Synodus in præsentis Canone, ut Christiani abstineant ab iis omnibus, quæ Gentilitatem sapiunt; neque exercent ea, quæ ab *insania imposturâ procedunt*.

Quàm multa Gentilium etiam abominanda

Epistola Facultatis Theol. Paris. contra has scditates

Publicæ mulierum saltationes.

Induti veste alterius sexus

Bacchanalia.

spectacula, & ritus apud nos supersint. haud facile esset enumerare, multaque enumerat Polydorus Virgilius, in libris de *inventione rerum*, ubi inter alia graphicè depingit *lib. 5. cap. 2.* quæ ex Gentilium bacchanalibus nobis supersunt, & fortem manum extirpaticem postulant: "nam ut illi, (Gentiles) in quinquatriis (a) minoribus & Megalensibus *personati* per urbem ludendo incedebant, ita nostri, inquit, morem induendi personas, non uno vel altero die nec sacrorum causâ, sed turpi insaniendi studio duos continuos menses, ante Quadragesimæ initium stolidè servant, sub quibus inveterata jam lasciviendi licentiâ, sexcenta flagitia quotidie faciunt, & illud impunè, perinde quasi eo modo cuique liceat esse sceleratum, nihilve maleficii credatur committi, si vera hominis facies non videatur, perinde ac non pateamus etiam Deo, quem nemo ambigit fandi atque nefandi justum esse iudicem, qui & improbos pœnâ, & probos præmio semper afficiat. Una omnium Provinciarum Anglia ejusmodi personatas bellua hæcenus non vidit; nec quidem vult videre, quando apud Anglos in re hac præ aliis certè sapientiores, deliramentum istud lege vetitum est. Et quia sub eodem tempus illud jejunium quadraginta sex dierum nobis anniversarium indicitur; ideo quotannis cuncti ubique gentium, in nostro Christiano orbe, studiosius solito ganentis vescuntur cibis; & non parum multi, quibus præcipua ventris cura est, ad vomitum saturantur quasi expleturi futuram esuritionem, cum tamen eorum etiam gulosa postmodum futura sit abstinentia; nam quamvis ab esu panis & carniū abstineant, bellariis se farciunt, & azimum panem pro fermentato devorantes, de jejunio gloriantur. Sic peccata undique consarcinant, ne adventante Pascha vacui aut frustra ad suos Sacerdotes adeant, à quibus per confessionem maleficiorum, onere levandi sunt. Et hæc omnia ex Romanorum Bacchanalibus ad nos fluxisse dixirim."

Quàm autem hæc à professione Christianâ aliena existimaverint Patres hujus Synodi, colligi potest ex pœnâ in contravenientes decretâ; *Clericos deponi, Laicos verò segregari* jubens.

CANON LXIII.

Quæ à veritatis hostibus falsò confictæ sunt martyrum historia, ut Dei martyres ignominia afficerent; & qui eas audituri essent, ad infidelitatem deducerent; in Ecclesia non publicari jubemus, sed eas igni tradi. Qui eas autem admittunt, vel tanquam veris iis mentem adhibent, anathematizamus.

SCHOLION.

Fabulosa non legenda in Ecclesiis. IN Ecclesia, sive in publico fidelium conventu nihil legendum, aut populo proponendum esse, nisi quod ad pietatem & ædificationem ejus conducere queat, nemo nisi irreligiosus negabit.

Quapropter meritò hujus Synodi Patres veterunt, in Ecclesia prælegi à veritatis hostibus confictas martyrum historias, quæ eos, qui audituri essent, nequaquam ad pietatem, sed ad infidelitatem deducerent.

[a] Vel quinquatriis à quinquando, id est, lustrando, quòd eo die arma ancilia, scuta scilicet quadra vel rotunda lustrari essent solita.

Deinde legitur, *Megalensibus*, id est, Megalinis pellibus, quæ conficiebant regumentum nocturnum mirabilis pretii.

Hac de causa in decreto, quod sub nomine Romani Concilii tempore Gelasii I. extat apud Gratianum *dist. 15. Can. 3.* dicitur, quòd quædam sanctorum acta, "secundum antiquam consuetudinem, singulari cautela in Romana Ecclesia non legantur, quia & eorum, qui conscripsere, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus, aut idiotis superflua aut minus apta, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur. Sicut cujusdam Quirici & Julitæ; sicut Georgii, aliorumque ejusmodi passionum, quæ ab hæreticis perhibentur compositæ. Propter quod ne vel levis subsannandi oriretur occasio, in sancta Romana Ecclesia non legantur."

Sanè in domo veritatis summo opere cavenda est omnis falsitas; ideoque summa semper Patrum cura fuit, & hodie esse debet Episcoporum, aliorumque, quibus incumbit ordinare, aut etiam emendare Ecclesiastica officia, ne quid falsi, aut fabulosi, vel divini officii majestate indignum, in publicis illis officiis legatur.

Agnoscit id Theodorus Balsamon hic, qui propterea dicit, "magnam B. Metaphrastæ agendam esse gratiam, qui, ait, martyrum pro veritate certantium certamina, non sine multis laboribus, & sudoribus repurgavit & exornavit ad Dei laudem, & SS. Martyrum perennem gloriam."

Metaphrasten scripsisse vitas Sanctorum per singulos menses, constat: easque Latinitate donatas habemus in Tomis Aloysii Lipomani & ex parte apud Surium de vitis Sanctorum.

Illud tamen circa Metaphrasten observandum monet Bellarminus *de scriptoribus Ecclesiasticis*, à Metaphraste scriptas fuisse historias de vitis Sanctorum, multis additis ex proprio ingenio, non ut res gestæ fuerunt, sed ut geri potuerunt. Addit etiam, ait, Metaphrastes, multa colloquia, sive dialogos martyrum cum persecutoribus; aliquas etiam, conversiones astantium Paganorum in tanto numero, ut incredibiles videantur: denique miracula plurima & maxima, in everfione Templorum & idolorum, & in occisione persecutorum, quorum nulla est mentio apud veteres historicos."

Huic Bellarmini monito subscribunt uno consensu eruditores historici, & actorum veterum scrutatores, asserunt enim, nullam, aut exiguam in discernendis actis genuinis à supposititiis, aut veris à fabulosis Metaphrasti fuisse peritiam; imò & ipsum de suo multas historias finxisse; quin & vera acta sanctorum potius conspurcasse, quàm exornasse. Quin de ipso asserere non dubitat Tillemontius *notâ 7. in S. Lucam*, quòd hic auctor in rebus dubiis solet sequi pejorem partem, & opinionem minus probabilem. "Pour le reste, ait, dans les choses douteuses, il prend d'ordinaire le plus mauvais parti, & l'opinion la moins probable."

Hoc dolendum, quòd ex hoc auctore, aliisque ejusdem farinae scriptoribus plurima fabulosa in divina nostra officia irreperint: & adhuc hodie immixta remaneant, præsertim in Breviario Rom. quo pleræque Ecclesiæ Latinæ utuntur, idque etiam, postquam à multis viris eruditis horum actorum falsitas detecta est, & luce meridianâ clariùs ostensa, & quæ propterea è Breviario multarum Ecclesiarum, auctoritate & solertiâ Episcoporum sublata sunt.

CANON LXIV.

Quòd non oporteat Laicum publicè disputare vel docere, docendi auctoritatem ex eo sibi vendicantem, sed ordini à Domino tradito cedere; &

aurem iis, qui docendi gratiam acceperunt, aperire: & divina ab eis doceri. In una enim Ecclesia diversa membra fecit Deus, ut est vox Apostoli. Quam aperte interpretans Gregorius Theologus, cum, qui in iis est, ordinem commendat, dicens: hunc ordinem revereamur fratres, hunc servemus. Hic quidem sit auris, ille verò lingua; hic autem manus, hic verò aliquid aliud: hic quidem doceat, ille verò discat. Et paulò post. Et discens in docilitate, & suppedians in hilaritate, & ministrans in alacritate. Ne simus omnes lingua, quod est promptius: ne omnes Apostoli, ne omnes Prophetae, ne omnes interpretemur. Et post quædam: cur te Pastorem facis, cum sis ovis? cur caput efficeris, cum sis pes? cur Imperator esse conaris, cum relatus sis in numerum militum? & alibi: jubet sapientia, ne sis velox in sermonibus, ne, cum sis pauper, unà cum divite extendaris; ne quæras sapientibus esse sapientior. Si quis autem presentem Canonem labefactans deprehensus fuerit, quadraginta diebus segregetur.

SCHOLION.

HOc Canone nihil aliud intendit Synodus, quam renovare, quod dixit Apostolus I. Corinth. XII. multa esse in corpore Christi mystico, id est, Ecclesiâ, membra, sed non omnia eundem habere actum, multosque ac diversos esse ordines; unumquodque membrum suum usum habere, & unumquemque in suo ordine debere manere; neque sibi usurpare, quæ alterius membri aut ordinis sunt.

Cum itaque propriè ad Episcopos, & qui ab ipsis ad hoc ordinati sunt, pertineat publicè docere ea, quæ ad religionem pertinent: hinc rectè presenti Canone id Laicis, tanquam ad se non pertinens interdicitur, præcipiturque ordini à Domino tradito cedere, & aurem iis, qui docendi gratiam acceperunt, aperire, & divina ab eis doceri.

Observat autem hic post Zonaram Balsamon, in hoc Canone rectè adjectum esse illud publicè, nam privatim quis interroganti respondere, ac propositæ ab eo quæstioni docendo satisfacere non prohibebitur, ait Zonaras.

Cæterum, quod hoc Canone disponitur, penè hodie apud nos ad solam solemnem & publicam concionandi & annuntiandi verbum Dei auctoritatem est restrictum, quæ ita Episcopis reservata est, ut nec Sacerdotibus inferioribus id licet, nisi licentiâ vel expressâ & speciali, aut implicitâ seu generali in cura animarum comprehensâ, ab Episcopo acceptâ, de quo latius in jure Eccles. tom. I. part. I. tit. XVI. cap. VIII.

CANON LXV.

Qui in noviluniis à quibusdam ante suas officinas & domos accendunt rogos, supra quos etiam antiquâ quâdam consuetudine salire ineptè ac delirè solent, jubemus deinceps cessare. Quisquis ergo tale quid fecerit, si sit quidem Clericus, deponatur; sin autem Laicus, segregetur. In quarto enim libro Regum scriptum est: Et ædificavit Manasses altare universæ militiæ cæli in duobus atriis domus Dei, & filios suos traduxit per ignem, sortibusque & auguriis auspiciisque usus est, & fecit Ventriloquos seu Pythones, & Divinatores multiplicavit, ut faceret malum coram Domino, ut eum ad iram provocaret.

Van Espen Oper. Posth. Pars II.

SCHOLION.

Novilunia dicebantur, inquit Balsamon, dies primi mensium. Mos ergo erat, pergite idem, apud Judæos & Græcos festum tunc agere, & gestulectere, ut totum mensē feliciter transigerent... Sed & ante suas officinas & ardes rogos incendebant & super eos saliebant, per id existimantes ea, quæ illis prius obrigissent, mala comburi; foreque, ut in alia bona inciderent.

Cum ergo hunc supersticiosum Gentilium ritum nonnulli Christiani sequerentur; id præsentem Canone strictè censuit prohibendum hæc Synodus: & quidem si Clericus fuerit, sub pœna depositionis; si Laicus, sub pœna segregationis.

Vix dubium est, quin hujus Gentilitii ritus reliquæ sint, quæ restant in quibusdam Sanctorum festis publici ignes, saltus, porationes, adolescentum pugnae, per Episcopos omnino eliminanda, uti monet Lupus hic.

CANON LXVI.

A sancta Christi Dei nostri Resurrectionis die usque ad novam Dominicam, totâ septimanâ in Ecclesiis vacare fideles jugiter oportet Psalmis & Hymnis, & Spiritualibus canticis, in Christo gaudentes, festumque celebrantes, & divinarum scripturarum lectioni mentem adhibentes, & sanctis mysteriis jucundè & lautè fruantes. Sic enim cum Christo exaltabimur, & unâ resurgemus. Nequaquam ergo prædictis diebus equorum cursus, vel aliquod publicum fiat spectaculum.

SCHOLION.

Certum est, jam pridem totam septimanam Paschalem fuisse tam in Ecclesia Orientali quam Occidentali festivam; eumque morem non introducens, sed supponens hæc Synodus declarat, quod hæc totâ septimanâ vacare fideles jugiter oporteat, Psalmis & Hymnis & Spiritualibus canticis in Christo gaudentes, festumque celebrantes, & divinarum scripturarum lectioni mentem adhibentes, & sanctis mysteriis jucundè & lautè fruantes.

Hic expressum habemus Christianum dies festos transigendi modum; atque imprimis inde habemus, quod fideles iis diebus oporteat vacare Psalmis, & Hymnis, & Spiritualibus canticis, & quibus divinum officium, quod hodie Canonicum vocatur, tanquam partibus componitur: atque hinc intelligimus, fideles omnes ad officium illud convenisse: quod multis sæculis observatum fuisse ostendi in dissertatione de horis Canonicis c. 3. §. 1. atque ob id officium hoc publicum fuisse nuncupatum.

Ex hac præterea dies festos transigendi ratione habemus, quod Patres hujus Synodi nullatenus crediderint, lectionem & meditationem divinarum scripturarum fore periculosam, eoque prætextu Laicis idiotis earum lectionem inhibendam, cum è contrario declaraverint, quod fideles oporteat diebus illis festivis divinarum scripturarum lectioni mentem adhibere, atque ita sanctis mysteriis jucundè & lautè frui.

Mos ille celebrandi integram hebdomadam Paschalem ut festivam in populo, in Gallia, Germania, aliisque Provinciis perseveravit per decem & amplius sæcula. Primus, qui legitur, festos hos

Superstitiones Gentilium vitandæ, nominatim in noviluniis.

De Paschæ octidua festivitate olim vigente.

Dies festos transigendi modus.

sub finem nos dies contraxisse ad tres Primos dies, fuit Ge-
 seculi XI. behardus Constantiensis Episcopus, qui in Syno-
 Paschales do suâ anno 1094. statuit, ut tam in hebdomada
 festos Pentecostes, quam in hebdomada Paschali, tres
 dies ad 3. tantum dies festi celebrarentur; idque contra mo-
 primos rem Comprovincialium, qui integram hebdoma-
 contraxit. dam in Pascha observabant. Habentur acta hujus
 Synodi ex Bertholdo apud Labbæum *tomo 10. Concil. generalium, col. 497.* Refertur autem in
 chronico Ecclesiæ Augustinæ, quosdam gravi-
 ter obinurmurasse Gebehardo, ob hoc sta-
 tutum, tanquam antiqui Canonis & moris ever-
 sori.

Bertholdus autem, relato hoc Synodali decreto,
 addit. "Hæc ipse, Gebehardus, in proprio Episcopi-
 copatu, & ex Episcopali auctoritate, & ex Apo-
 stolica Legatione Canonice potuit instituire; nam
 Legatus fuit Sedis Apostolicæ per totam Teuto-
 nicam terram usquequaque."

Ratio il-
 lius mu-
 tationis.

Cum autem auctoritate Legati Sedis Apostoli-
 cæ id statutum esset, non mirum si sensim aliæ Ec-
 clesiæ hanc mutationem amplexi fuerint; præser-
 tim cum experientia doceret, arduum esse, ut opi-
 fices, qui operibus suis manualibus victum sibi
 & familiæ lucrari debent, integrâ hebdomadâ ab
 his vacare juberentur.

Accedebat, quod, pauci inter communes fi-
 deles, integris septem continuis diebus, pietatis,
 & religionis exercitiis, prout festorum dierum ce-
 lebratio exigit, ritè vacarent.

Denique una ex præcipuis hujus festivitatis ratio-
 nibus, scilicet Neophytorum octiduana celebri-
 tas, jam ferè ubique pro maxima parte cessabat.

Denique & hoc constat, seculo illo, quo hæc
 reductio facta legitur, plures etiam festivitates
 sanctorum anterioribus seculis incognitas, indu-
 ctas fuisse.

Itaque hodie plerisque in Ecclesiis, ad tres dies
 Paschalis festivitas à populo celebranda restricta
 est: imò in quibusdam, puta Cameracensi tertia
 dies tantum dimidiata festivitas est: hoc est post
 finita & audita Missarum solemniam, operum ser-
 vilium exercitium permittitur.

Hodier-
 num ve-
 stigium
 veteris
 discipli-
 nae.

Veteris interim disciplinæ vestigium adhuc in
 hoc superstes manet, quod Paschalis diei officium
 postpositis omnibus aliis festis, etiam majoribus,
 interim occurrentibus, per totam hebdomadam
 in Ecclesiâ recitari, & celebrari jubeatur.

His ergo Paschalibus diebus jubet præsens Can-
 non cessare equorum cursus, publica que specta-
 cula, quibus fideles à verò ac religioso illorum
 dierum cultu avocantur: nam etiam de Christianis
 verum est, quod de Judæis dixit Augustinus:
 „quantò melius fæminæ eorum lanam facerent,
 „quàm Sabbatho in Neomeniis saltarent.“
Tract. 34. in Joan.

Quomodo hisce in Provinciis, tum Synodali-
 bus decretis, tum Principum edictis, vetita sit
 hujusmodi ludorum, aut spectaculorum exhibi-
 tio, latè ostenditur in *jure Eccles. tom. 1. parte 2. sect. 2. tit. 2. cap. 5. aliàs tit. 17.*

CANON LXVII.

Divina nobis scriptura mandavit, à sanguine,
 & suffocato, & fornicatione abstinere. Eos
 ergo, qui propter lautum & delicatum ven-
 trem cujuscunque animalis sanguinem arte ali-
 quâ esculentum condiunt ac instruunt, atque ita
 illo vescuntur, convenienter punimus. Si quis
 deinceps animalis sanguinem quovis modo com-

edere aggrediatur, si sit quidem Clericus de-
 ponatur: si autem Laicus, segregetur.

SCHOLION.

Præceptum Apostolicum de abstinentiâ à san-
 guine & suffocato, nonnullis seculis, non tan-
 tum apud Græcos, sed & apud Latinos in multis
 Ecclesiis viguisse ostensum est in Scholio ad Ca-
 nonem II. Synodi Gangrensis; paulatim autem &
 sensim per totam Ecclesiam, saltem Latinam ab
 aliquot seculis omnino evanuit; ideoque scribit
 Balsamon de suo tempore: *Latini verò indiscrimi-
 natim SUFFOCATA comedunt.*

De absti-
 nentiâ à
 sanguine
 & suffo-
 cato.

Secuta est Ecclesia Latina in hoc S. Augustini sen-
 tentiam, lib. 32. cont. Faustum Manicheum, c. 13. S. Augu-
 ubi latè docet, quod hoc præceptum datum fue-
 rit Christianis, nondum formatâ Gentilium Ec-
 clesiâ. "Elegisse mihi videntur, ait, pro tempore
 rem facilem, & nequaquam observantibus one-
 rosam, in quâ cum Israëlitis etiam Gentes prop-
 ter angularem illum Lapidem, duos muros in se
 condentem, aliquid communiter observarent...
 transacto verò illo tempore, quo illi duo parie-
 tes... quamvis in angulari lapide concordarent,
 tamen suis quibusdam proprietatibus distinctius
 eminebant; ac ubi Ecclesia gentium talis effecta
 est, ut in eâ nullus Israëlita carnalis appareat, quis
 jam hoc Christianus observat, ut tardos, vel mi-
 nutiores aviculas non adtingat, nisi quarum san-
 guis effusus est, aut leporem non edat, si manu à
 cervice percussus nullo cruento vulnere occisus
 est? & qui fortè pauci adhuc ista tangere formi-
 dant, à cæteris irridentur. Ita omnium animos
 in hac re tenuit illa sententia veritatis, non quod
 intrat in os vestrum, vos coinquinat, sed quod
 exit, nullam cibi naturam quam societas admit-
 tit humana; sed quæ iniquitas committit, pec-
 cata condemnans."

Latini jam
 tempore
 S. Augu-
 stini ab iis
 non absti-
 nebant.

Textus hic Augustini probat, etiam eo tempo-
 re in Africâ hoc Apostolorum præceptum non
 fuisse servatum.

Interim cum tempore hujus Synodi adhuc vi-
 geret in Ecclesiâ Græcâ hoc præceptum, meritis
 præsentis canone Synodus condemnat eos, qui pro-
 pter lautum & delicatum ventrem cujuscunque
 animalis sanguinem arte aliqua esculentum con-
 diunt, ac instruunt, atque ita illo vescuntur.

Aliud fuit
 in Ecclesia
 Græca et-
 iam tem-
 pore Syn-
 nodi
 Trull.

Non dubium similes hoc canone puniri, quod
 legi fraudem faciant, uti notat hic Balsamon, re-
 mittens lectorem ad *Novellam 58. Leonis Sapien-
 tis, qua statuit, inquit, eos qui quamcunque san-
 guinolentam speciem comedunt, publicandos, &
 corpore puniendos & impressâ cuti tonsurâ notan-
 dos, & perpetuo exilio condemnandos, eos au-
 tem, qui hæc non vindicant, Magistratus X. li-
 brarum anni multâ corrigendos.* Hæc notare po-
 terunt, qui diebus jejuniorum & abstinentiæ ex
 simili concupiscentiâ & pari fraude vescuntur ci-
 bis ab Ecclesiâ vetitis.

CANON LXVIII.

Nulli ex omnibus licere Veteris & Novi Testamen-
 ti librum, nec sanctorum nostrorum præconum ac
 doctorum corrumpere vel conscindere, vel libro-
 rum cauponatoribus, vel iis qui dicuntur un-
 guentarii, vel alicui alii ex omnibus ad eum de-
 lendum tradere: nisi utique vel à tineis, vel ab
 aqua, vel ab aliquo alio modo redditus fuerit
 inutilis. Qui autem tale quid facere deinceps
 deprehensus fuerit, anno uno segregetur.

Si-

Similiter & qui libros emit, si eos quidem ipse non ad suam utilitatem retineat, nec alteri ad ejus beneficium, & ut ii permaneant tradat, sed eos corrumpere aggressus fuerit, segregetur.

SCHOLIION.

QUæ hoc Canone decernuntur, profluxisse credit Christianus Lopus, in Scholio ad præsentem Canonem, ex summâ veneratione, quam sacris Codicibus præsertim Evangeliorum exhibendam jam olim censuerunt Christiani.

Et sanè libris sacris, præcipuè Evangeliorum summam à Christianis jam pridem adhibitam venerationem certum est.

Hinc usus antiquus Codicem Evangelicum osculandi & adorandi non secus ac imaginem crucifixi.

In Synodi VII. præfatione ad Joannem VIII. Papam Anastasius Bibliothecarius adversus Iconoclastas ita arguit: "ajunt, quòd non sit quodlibet opus manuum hominum adorandum. Quasi non sit codex Evangeliorum opus manuum hominum, quem quotidie osculantes adorant."

Et adversus Episcopum Taurinensem Iconoclastam scribit Jonas Aurelianus in præfatione libri secundi: "Sacrae religionis usus, in sancta Ecclesia adhuc servatur, ut prælectâ sancti Evangelii lectione, ab Episcopo, vel Presbyteris, cæterisque sacri ordinis religiosi, codex in quo Evangelii lectio recitata est, multiplicibus osculis veneretur, sed hoc cujus causa, nisi illius usus esse verba creduntur, agimus?"

Denique Canon 3. Synodi VIII. supponens usum adorandi Codicem Evangeliorum, ait: *sacram imaginem Domini nostri Jesu Christi æquo honore, cum libro sanctorum Evangeliorum adorandum decernimus.*

Verùm licet hæc à Christiano Lupo ibidem adducta, solidè probent, Codicem scripturarum, ac præcipuè Evangeliorum summo semper fuisse apud Christianos honore, nihilominus apparet, in condendo præsentem Canone, Patres magis præ oculis habuisse horum librorum usum, & quem ex ipsorum lectione haurire fideles possunt, multiplicem fructum, quàm eis debitam externam reverentiam, & venerationem.

Cum enim eo tempore ars Typographica nondum nota esset, rarior erat librorum, qui omnes calamo describi debebant, copia.

Proindè meritò Patres solliciti fuerunt, ne codices librorum, è quorum lectione fidelis populus edificari præcipuè & doceri debebat, quæstus alicujus causa corrumpere, aut ad legendum inutile redderentur. Hunc Patrum scopum fuisse indicat clausula restrictiva canonis inserta: *nisi utique vel à tineis vel ab aqua, vel ab aliquo alio modo redditus fuerit INUTILIS.* (a)

Unde nec mirum est, quòd libris sacris seu canonicis Synodus addat libros *sanctorum Praconum ac Doctorum.* Licet enim hi nequeant pari honore & auctoritate censi cum libris sacris, seu canonicis; nihilominus ex eorum lectione multiplicem fructum posse haberi Synodus non dubitavit, ideoque & horum conservationi, in ea codicum raritate, jure meritò consulere voluit.

Ex hac sedulâ curâ & studio conservandi hos li-

[a] Arbitraret hunc Canonem conditum fuisse adversus quosdam hæreticos tum Nestorianos tum Eutichianos, qui ut suis erroribus patrocinium à sacra auctoritate peterent, nonnulla novi Testamenti loca corrumpere pessimum nefas sexto seculo ausi sunt.

bro in usum fidelium, non obscure insinuat, à Patribus eorum librorum lectionem commendari: cui Patrum monito, si auscultarent multi Theologi, solidiorem, & utiliorem procul dubio sibi & proximo scientiam ex studio Theologico compararent, quàm dum sterili studio Scholasticorum & Casuistarum toti insudant.

CANON LXIX.

Nulli omnium liceat, qui quidem sit in Laicorum numero, intra septa sacri altaris ingredi, nequaquam tamen ab eo prohibita potestate & auctoritate Imperiali, quandoquidem voluerit creatori dona offerre, ex antiquissima traditione.

SCHOLIION.

TAM in Ecclesiâ Latinâ, quàm Græcâ multis retro seculis, morem fuisse constantem variis Canonibus firmatum, excludendi Laicos a sacrario seu loco Clericis & Sacerdotibus divina mysteria celebrantibus destinato, notius est, quàm ut probari debeat, evincitque præsens Canon apud Græcos, nec ad offerendum Laicos in sacrarium fuisse admissos.

Excipit Synodus solum Imperatorem, quem intra septa sacri altaris ingredi permittit, quandoquidem voluerit creatori suo dona offerre ex antiquissima traditione.

Hanc exceptionem, ex antiquissima traditione, non sine fundamento sustinet Synodus; nam diu ante hanc Synodum, obtinuisse patet ex his verbis Imperatoris Theodosii junioris, in actis Concilii Ephesini: *editionis Pelt.* apud Baronium ad annum 431. "nos, qui legitimis Imperii armis semper circumdamur, quosque sine armis, & stipatoribus esse non convenit; Dei Templum ingressuri, foris arma relinquimus, & ipsum etiam diadema Regiæ majestatis insigne deponimus, & sacra altaria, munerum TANTUM offerendorum causa accedimus, quibus quoque oblatis, ad extimum, communeque atrium mox nos recipimus."

Similiter Theodoretus, lib. 5. *Hist. Eccles. cap. 17.* refert; quòd Theodosius magnus Imperator, post peractam publicam sibi à S. Ambrosio impositam pœnitentiam, & obtentam reconciliationem; "ubi tempus postulavit, ut dona sacra mensa offerret, surrexit, atque in sacrarium ingressus est; cum verò, ait Theodoretus, dona, uti solebat, obtulisset, intus propè Cancellos mansit. At rursus magnus ille Ambrosius, non conticuit quidem, sed locorum differentiam eum docuit; ac primum sciscitatur ecquâ re egeret? & cum respondisset Imperator, se expectare divinorum mysteriorum perceptionem, significavit illi per primarium Diaconum, qui ei ministrabat, ad loca interiora solis Sacerdotibus aditum patere, eademque aliis omnibus inaccessa esse, nec debere tangi. Jubet igitur ut exeat, & cum reliquis Laicis consistat; nam purpura, inquit, Imperatores, non Sacerdotes efficit; quam admonitionem itidem excepit lubens Imperator fidelissimus, responditque se non animi confidentiâ inductum, mansisse intra Cancellos; sed hanc consuetudinem Constantinopoli didicisse; quare habeo, inquit, etiam pro hac medicinâ gratiam."

Post hæc subjungit Theodoretus; "Imperator autem pietatis præcepta, quæ ab illo illustri

Libri sacri summa venerat. one servandj.

Videtur Canon respicere pretium SS. Codicum, qui tunc erant MSS.

Laici intra septa altaris non ingrediantur.

Excepto Imperatore.

Quæ exceptio obtinuit tempore Theodosii Imp.

„Episcopo didicerat, etiam cum revertisset Constantinopolim, observavit. Nam cum divino quodam festo ad Templum denuò veniret, statim ut dona sacræ mensæ obtulerat, exivit. Atque cum Nectarius, qui id temporis illius Ecclesiæ Antistes fuit, rogaret cur non maneret intus; gemens, inquit, ægrè tandem didici, quid inter Imperatorem iterit & Episcopum; ægrè tandem reperi veritatis magistrum: nam solum Ambrosium novi Episcopum dignum eo nomine.“

Occasione hujus facti & eventus verissimè notavit ibidem Theodoretus, ab omnibus Episcopis meritò attendendum: *tantum commodi reprehensio à viro virtute præstanti adhibita, secum apportare solet.* Sperandum esset non defuturos Theodosios, si essent Ambrosii.

Interim ex hisce sufficienter probatur, consuetudinem antiquam fuisse ante hanc Synodum, quæ Imperatorem ad sacrarium sive altare admitteret, quando dona mensæ sacræ erant offerenda.

Imperator post oblationem è sacrario iterum egrediebatur. Habetur quoque, quòd Imperatori post donorum oblationem intra sacrarium consistere non permetteretur; adeoque nullus tùm haberetur intra sacrarium, sive Cancellos, vel *chorum*, uti hodie loquimur, Imperatori ad sedendum locus, specialiter destinatus.

Constantinopoli intra Cancellos persistebat, secus ac Meiodiani. Consuetudo Constantinopolitana per Theodosium Imp. abrogata. Ex verbis quidem Theodosii ad Diaconum ab Ambrosio missum, patet, consuetudinem tùm fuisse in Ecclesiâ Constantinopolitanâ, ut Imperator intra Cancellos, etiam post donorum oblationem, consisteret; at hanc non probasse Ambrosium in verbis suprâ relatis testatur Theodoretus; confirmatque Sozomenus *lib. 7. Hist. Eccles. cap. 25.* adjungens, quòd Ambrosius consuetudinem illam improbaverit, hoc ipsum vel *ex assentatione, vel ex disciplina corruptione profectum esse animadvertens.*

Scribit & Sozomenus post Theodoretum. „Hanc autem egregiam ordinationem, Theodosius Imperator approbavit, & successores ejus confirmarunt, ac nos eam ex eo tempore in hanc usque diem observari videmus.“

Neque huic egregiæ ordinationi contrariatur præfens canon, permittens duntaxat Imperatori septa sacri altaris ingredi, *quandoquidem voluerit Imperator creatori dona offerre; sed* an ibidem tempore divinorum officiorum consistere queat, nequaquam decernitur.

Consuetudo illa iterum postea in Ecclesia Græca obtinuit. Agnoscit Theodorus Balsamon; „Quosdam dicere, verbis canonis insistentes, quod tunc non prohibebantur Imperatores intra septum altaris ingredi, quando sunt munera oblaturi, non autem si solius orationis gratiâ ipsam ingredi voluerint. Sed, ait Balsamon, mihi non ita videtur. Orthodoxi enim Imperatores, qui per Sanctæ Trinitatis invocationem Patriarchas provehunt, & sunt uncti Domini, sine ullo impedimento, quando etiam voluerint, ad sacrum altare accedunt, & sufficiunt, & cum triplici cereo signant, sicut & Pontifices,“

Haud obscurum est, Balsamonem hinc magis reflexisse ad sui temporis disciplinam, quàm ad textum & sensum Canonis.

Hoc quippe constat, in Ecclesiâ Græcâ jam à pluribus seculis, *morem* rursùm invaluisse, qui ætate S. Ambrosii Constantinopoli erat, *ut Imperatores intra conspectum altaris in Ecclesia consistere, honoris causa à populi multitudine separati, uti loquitur Zozomenus citato lib. 7. cap. 25.*

In Ecclesiâ Latinâ, non tantùm Imperatoribus, Regibus, & supremis Principibus, sed &

Patronis Ecclesiarum, Toparchis locorum, quin & Magistratibus intra septa altaris sive chorum, sedilia honoris causa plerumque assignari solent, imò & ea tanquam jura honorifica sibi deberi contendunt.

Hæc consuetudo utrum originem ex assentatione Sacerdotum vel disciplinæ corruptione habuerit, nescio. Hoc scio eam jam inolitam, à Sacerdotibus, vel Pastoribus, non esse præcipiti Zelo turbendam, neque hujusmodi honoris prærogativas faciliè negandas iis, qui in earum pacifica possessione sunt; præsertim dum ipsi Magistratus aut Patroni, hisce moderatè, & sine Ecclesiasticæ disciplinæ, aut sacrorum rituum infractione cum Christianâ modestiâ utuntur.

Quod autem jam pridem in Latinis reprehendit Balsamon etiamnum hodiè meritò reprehenditur & à Pastoribus, aliisque superioribus corrigeretur; quòd scilicet, non solum viri Laici, sed & mulieres in sanctum Tribunal ingrediuntur, & sedent, stantibus sæpè iis qui sacrificant: nisi tamen essent illustrium familiarum, quibus hæc prærogativa juxtâ hodiernos Ecclesiæ mores deberetur. In quibus similiter cum summâ prudentiâ, & moderatione notanter per Parochos, & inferiores Ecclesiæ Ministros est procedendum. De his latius egimus in *jure Eccles. parte 2. tom. 1. sect. 3. tit. 8. cap. 7. aliàs tit. 25.*

CANON LXX.

Ne liceat mulieribus in divini sacrificii tempore loqui, sed ut vox est Apostoli Pauli, sileant: non enim eis loqui permissum est, sed subjici, sicut dicit Lex. Si quid autem volunt discere, domi proprios maritos interrogent.

SCHOLION.

EA est homini innata superbia, ut se difficulter intra officii sibi injuncti terminos continere queat, præsertim dum persuasum habet, se aliquid posse, quo apud homines existimationem famamque sibi conciliet.

Hinc mulieres nonnullæ, suâ sorte & vocatione non contentæ, supra mulierum communem conditionem se extollentes, quæ virilis officii sunt, sibi arrogare præsumserunt, & quæ tanquam disciplinæ subesse & discere debent, se ipsas in Magistras & Doctrices erigere voluerunt, quas ut procaces redarguit Tertullianus *lib. de præscript. cap. 41.*

Verisimile autem est, ut notat Balsamon, quòd quædam mulieres etiam tempore hujus Synodi *divinas scripturas legere præ se ferentes, concionari aggredierentur, & ad interrogationes & responsiones se compararent:* quod præfenti Canone Synodus prohibendum censuit; interdicens mulieribus, *in divini sacrificii tempore, loqui, sed ut vox est Apostoli Pauli; (sive Gr. secundum Apostoli Pauli præceptum) sileant.*

Porrò Synodus restringens suum Decretum ad *tempus divini sacrificii*, sufficienter innuit hoc duntaxat concernere instructiones publicas tempore divini sacrificii fieri solitas, sive publicas illas Evangelii, durante divino officio & sacrificio, explanationes, quæ propriè ad Episcopos & Pastores spectant.

Undè & in synodo vulgò carthagenensi IV. *Can. 99.* & apud Gratianum *dist. 23. Can. 29.* legitur: „mulier quamvis docta & sancta, viros in conventu docere non præsumat.“ Nimirum in

Quid censendum defedibus, quæ honoratiores quidam Laici in sacratio occupant.

Mulieribus licet privatim instruere.

conventu publico, qualis fieri solet, cum ad celebrandum divinum sacrificium populus cum suo Pastore coit, ut una cum ipso sacrificium offerat, & ab ipso tanquam suo magistro instructionem accipiat, & Cœlestis doctrinæ pabulo pascatur.

De hujusmodi quoque instructione intelligendus Innocentius III. in cap. 10. *de poenitent. & remiss.* ubi inhiberi mandat Abbatibus quibusdam, ne legentes Evangelium præsumant publice prædicare: "quia, licet Beata Virgo Maria, inquit, dignior & excellentior fuerit Apostolis universis, non tamen illi, sed istis Dominus claves Regni cœlorum commisit."

Hæc subjecta ratio sufficienter ostendit, Pontificem hîc loqui voluisse de actibus Pastoralibus, qui proprii sunt his, quibus claves Regni cœlorum à Domino commissæ sunt.

Et sanè quis ambigat, quin Abbatisa, aliæve mulieres, in superioritate constitutæ, possint, imò teneantur Monialibus, aliisve sibi subditis, dare privatim monita salutis, & tanquam spirituales earum matres, spirituale pabulum pro sua capacitate & conditione illis porrigere.

Quare ad hunc Canonem rectè norat Balsamon, "privatim autem prudentiores (mulieres) interrogare de aliquibus conducibilibus animæ, novum non est."

Hâc notâ Balsamonis adductâ, subjungit Christianus Lupus in Scholiis ad caput 41. Tertulliani de præscript. "Quod prudentiores mulieres, viduæ præsertim, docere privatim possint suam familiam, frequenter tradit S. Joannes Chrysostomus."

Nec ergo vituperandæ, imò laudandæ mulieres illæ, quæ de consilio Pastorum suorum, privatim instruunt pueros pauperes diebus festis & Dominicis, in primis fidei, ac Religionis Christianæ rudimentis.

C A N O N LXXI.

Eos, qui docentur leges civiles, Gentilium moribus uti non oportet, & neque in theatrum induci, neque eas, quæ dicuntur cylistras peragere, vel præter usum communem sibi vestes induere, nec quo tempore disciplinam aggrediuntur, vel ad finem ejus perveniunt, vel, ut in summa dicam, in ejus doctrina dimidio. Si quis autem deinceps hoc facere ausus fuerit, segregetur.

S C H O L I O N.

Prohibetur Gentilis pompa circa eos, qui docentur Leges civiles.

Magnus Theologus Gregorius hæc scribit in funebri magni Basilii oratione, ait Balsamon, quod plurimi, ii que stultissimi ex adolescentibus, qui erant Athenis, sophistico quodam furore perciti, & non secus ac ii, qui equestri cursûs certaminis furioso desiderio tenentur, contra adversarios suos pugnantes, ut bes viasque anticipant, & recenter advenientes sophistas excipiunt & complectuntur, magnâ splendidâque pompâ deducentes, & hospitaliter comitantes, & alia quædam ludibria sophistis familiaria facientes."

Post hæc subjungit Balsamon: "ut est ergo credibile, in hac urbium Reginâ hæc consuetudo invaserat, quando legum quoque disciplina vigeat, quidam his Græcis moribus uterentur, & eos, qui legum erant disciplinam aggressuri, vel qui per mediam doctrinam processerant, vel qui jam perfecti erant, cum magna quadam pompa, & sumptuosis insuetis vestibus, in thea-

trum deducerent, & ideo statuisse Patres ea, quæ sunt in præsentî Canone."

Perpendant Academicarum moderatores, num modernus ille sumptuosus & fastuosus apparatus, in Legum Doctoratibus exhiberi solitus, Gentilismum hoc canone præscriptum aliquatenus non sapiat.

C A N O N LXXII.

Non licere virum orthodoxum cum muliere hæretica conjungi, neque verò orthodoxam cum viro hæretico copulari. Sed & si quid ejusmodi ab ullo ex omnibus factum apparuerit, irritas nuptias existimare, & nefarium conjugium dissolvi. Neque enim ea, quæ non sunt miscenda misceri, nec ovem cum lupo, nec peccatorum sortem cum Christi parte conjungi oportet. Si quis autem ea, quæ à nobis decreta sunt, transgressus fuerit, segregetur. Si autem aliqui, qui adhuc sunt infideles, & in orthodoxorum gregem nondum relati sunt, sunt inter se legitimo matrimonio conjuncti: deinde hic quidem eo, quod honestum est, electo, ad lucem veritatis accurrerit, ille verò erroris vinculo detentus fuerit, nolens divinos radios fixis oculis intueri, fideli verò homini placeat cum infideli cohabitare, vel e contra, ne à se invicem separentur. Ex divini enim Pauli sententia, sanctificatus est vir infidelis in muliere, & sanctificata est mulier infidelis in viro.

S C H O L I O N.

Synodus in præsentî Canone *IRRITAS* nuptias esse vult & nefarium conjugium *DIS-SOLVI*, si orthodoxus contrahat cum muliere hæretica; aut orthodoxa cum viro hæretico copuletur.

Si hîc per hæreticum intelligatur omnis, qui pertinaciter quodcumque dogma hæreticum sustinet, & fidei Catholicæ in aliquo articulo adversatur, tamen si sit baptizatus, & in Christum credat, habebitur hîc *impedimentum dirimens* hæctenus apud nos non receptum: licet enim Ecclesia etiam Latina summopere, idque pluribus & arduis ex causis improbet matrimonia orthodoxorum cum hæreticis; non tamen *impedimentum dirimens* hæctenus constituit, nec matrimonia hujusmodi irrita existimavit.

Si verò per hæreticum intelligatur infidelis, si venon baptizatus, prout secunda pars Canonis insinuat, & eo sensu intelligere videntur commentatores Græci, tunc disciplina hoc Canone expressa, tam quoad primam, quàm secundam Canonis partem consonat disciplinæ Ecclesiæ Latinæ, quæ continetur in capite *GAUDEMUS* *de divortis*, prout latius exposui in *jure Ecclæs. tom. 1. part. 2. sect. 1. tit. 13. cap. 8.*

C A N O N LXXIII.

Cum crux nobis vivifica salutare ostenderit, nos omnem diligentiam adhibere oportet, ut ei, per quam ab antiquo lapsu salvati sumus, eum, quem par est honorem habeamus. Quamobrem & mente, & sermone, & sensu adorationem ei tribuentes, crucis figuras, quæ à nonnullis in solo ac pavimento fiunt, omnino deleri jubemus, ne incedentium conculcatione victoria nobis trophæum injuria afficiatur. Eos itaque, qui deinceps crucis signum in solo construunt, segregari decernimus.

SCHOLIION.

Cruz
Christi
veneran-
da.

Vivificæ crucis imagini, ob eum, qui per eam nos redemit *mente & sermone & sensu adorationem* tribuendam ait Canon. "Ac *mente* quidem illam veneramur, ait Zonaras, cum tacita meditatione, quàm ingentia bona per illam ad nos devenerint recolentes, tantæ Dei in nos beneficentiæ magnitudinem obstupescimus: *sermone*, cum illa eadem sermonibus usurpantes, quantum proinde nostro salvatori debeamus, apud alios profiteamur, *sensu* verò, cum eam aspicientes veneramur atque salutamus."

Olimve-
titum
crucis sig-
num in
pavimen-
to effor-
marc.

Ob debitam cruci venerationem statutum est, ne crucis imago pavimento aut solo efformetur; *ne incedentium, conculcatione victorie nobis trophæum injuriâ afficiatur*: quod & à Theodosio & Valentiniano sub gravi pœna sancitum erat in *L. unica, Cod. nemini liceat signum salvatoris, &c.* At hanc legem, ac consequenter & hunc Canonem, antiquatam esse rectè monet Tuldenus ad dictum *tit. Codicis*, addens: "in reverentiam crucis cedit, quod omni loco sive infernè sive supernè obversatur."

CANON LXXIV.

Quòd non oportet in Dominicis locis vel Ecclesiis eas, quæ dicuntur agapas. id est, caritates facere, & intus in eade comedere, & accubitus sternere. Qui autem hoc ausi fuerint, vel cessent, vel segregentur.

SCHOLIION.

Agapæ
Christia-
norum.

DE his Agapis loquitur Apostolus *I. Cor. XI.* non quidem ipsum convivandi institutum improbens, sed conquerens, *quòd non in melius, sed in deterius convenirent Corinthii.* Notansque unà abusus, qui in hæc convivia irrepsert. Increpationem autem suam concludens, hæc clausulâ, *cætera cum venero disponam.*

Admodum itaque probabile est, Apostolum circa hæc convivia disposuisse, ritumque Christianum, quo peragenda essent, ipsis postmodum præscripsisse.

Laudatæ
à Tertul-
liano.

Scimus enim etiam post decessum Apostolorum, hæc convivia apud Christianos superfuisse, & quidem valde Christianè summâque moderatione ea peracta fuisse sæculo III. docet nos Tertullianus in *Apologetico cap. 39.* ita hæc describens. "Cœna nostra de nomine rationem habet, vocatur enim *Agape*, quod vocatur *dilectio* apud Græcos: quantiscunque sumptibus consistet, lucrum est, pietatis nomine facere sumptum: siquidem inopes quosque isto refrigerio juvamus: eorum ordinem, modestiam & sanctitatem ibidem adversus Gentiles apologeticè describit.

A Minu-
tio Felice. Laudat quoque hæc convivia, Minutius Felix in suo dialogo. "Convivia non tantum pudica colimus, sed & sobria; nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus, sed gravitate hilaritatem temperamus."

Eorum quoque meminisse videtur Plinius secundus in literis ad Trajanum Augustum, referens ea, quæ juridicè interrogati Christiani, passim responderent: nimirum "hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel erroris, quòd essent soliti statim die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo dicere secum invicem.... quibus per-

actis, morem sibi discendendi fuisse, rursusque coeundi ad capiendum cibum, *promiscuum* tamen & innoxium."

Sæculo IV. prisca has epulas Christianorum graphicè expressit S. Chrysostomus, in *commentario Epistola ad Corinthios.* "Fideles omnes, ait, in conventibus suis postquam audissent doctrinas, post preces, post mysteriorum communionem, solutâ concione, non mox domum conscendebant; sed divites, alimenta & edulia domibus suis afferentes, pauperes vocabant, communefaciebant mensas, communia prandia, communia convivia in ipsa Ecclesia: atque ita à communionem mensæ & pietate loci undequaque ad pietatem accendebantur.

Et Manichæis Christianos accusantibus, quòd Gentilium sacrificia in suas Agapes converterent, respondit S. Augustinus *lib. 20. contra Faustum, c. 20.* "Nec sacrificia eorum (Paganorum) vertimus in Agapes; sed sacrificium illud, quod paulò ante commemoravi, intelleximus dicente Domino, *misericordiam volo quàm sacrificium.* Agapes enim nostræ pauperes pascunt, sive frugibus, sive carnibus."

Et infra, "quoniam plerumque in Agapibus etiam carnes pauperibus erogantur, misericordiam Christianorum, similem dicitis sacrificiis Paganorum."

Hinc videmus, quare hæc convivia, quibus pauperes pascebantur, meritò *Agapes*, sive convivia *dilectionis* vel *charitatis* dicta fuerint.

Insuper hinc intelligitur, nihil inordinati habuisse, quòd hæc convivia *caritatis* etiam in ipsis Templis Christianorum, post sumptam sacram Eucharistiam, & celebrata divina mysteria instruerentur, quamdiu ipsa *caritas*, aliæque virtutes Christianæ in hoc convivio sanctificabant.

Verum, non multo tempore, hæc moderatio & sanctitas caritasque in his conviviis servari potuit, sed sensim excessus, comestationes, ebrietates aliaque ex his pullulantia vitia etiam in hæc convivia irrepsert, quin & Gentilium superstitione se subinde immiscuit. Hæc cum sancti Episcopi & Pastores adverterunt, censuerunt ea passim abroganda.

Ex his, quæ de matre sua scribit Augustinus *lib. 6. conf. cap. 2.* constat, illa eo jam tempore in Ecclesia Mediolanensi per S. Ambrosium fuisse abrogata.

Narrat enim ibidem Augustinus, matrem suam ipsum secutam Mediolanum; "cumque, ait, ad memorias Sanctorum, sicut in Africa solebat, *pultes, & panem, & merum* attulisset, atque ab Ostiario prohiberetur, ubi hoc Episcopum (Ambrosium) *vetuisse* cognovit, tam piè atque obedienter amplexa est, ut ipse mirarer, quàm facile accusatrix potiùs *consuetudinis suæ*, quàm disciptrix illius *prohibitionis* effecta sit."

Dicit autem ibidem S. Augustinus, à S. Ambrosio *præceptum fuisse, ista non fieri, nec ab eis, qui sobrie facerent. Primo, ne ulla occasio se ingurgitandi daretur ebriosis. Secundo, quia illa quasi parentalia superstitioni Gentilium essent simillima.*

In Africa adhuc frequentata fuisse prædicta convivia, quando jam relata tentabat S. Monica, indubitatum est; sed & hoc constat, quòd & ætate S. Augustini, in ebrietates & comestationes hæc convivia defluxissent: quòdque S. Augustinus ea rescindere studuerit, scriptâ ad Aurelium Carthaginiensem Episcopum *Epist. 22.* atque inter alia scribit: "Comestationes & ebrietates ita concessæ & licitæ purantur, ut in honorem etiam Beatif-

A S. Chry-
sostomo.Defensæ
à S. Au-
gustino
contra
Mani-
chæos.Propter
abusum
abroga-
tæ, pri-
mum in
Italia, ac
nomina-
tim Me-
diolani.

„Beatissimum martyrum, non solum per dies
„solemnnes (quod ipsum quis non legendum vi-
„deat, qui hæc non caecis oculis suspiciat) sed
„etiam quotidie celebrantur.“

Dein ex Apostolo asserta ebrietatis sceditate &
criminis gravitate subiungit: „sed feramus hæc
„in luxu & labe domesticâ, & eorum convivio-
„tum, quæ privatis parietibus continentur, acci-
„piamusque cum eis corpus Christi, cum quibus
„panem edere prohibemur; saltem de sanctorum
„corporum sepulchris, saltem de locis sacramen-
„torum, de domibus orationum tantum dedecus
„arceatur. Quis enim audeat veritate privatim, quod
„cum frequentatur in sanctis locis, honor marty-
„rum nominatur?“

Post hæc Aurelium hortatur, ut exemplo alio-
rum Episcoporum, qui hæc convivia, vel nun-
quam admiserunt, vel admissa abrogarunt, huic
malo in Africa remedium adhibere non dubitet.
„Hæc si prima, Africa tentaret auferre, à cæteris
„terris imitatione digna esse deberet: cum verò
„& per Italiæ maximam partem, & in aliis omni-
„bus, aut propè omnibus transmarinis Ecclesiis,
„partim quia nunquam factæ sunt, partim quia
„vel orta, vel inveterata sanctorum, & verè de vi-
„ta futura cogitantium Episcoporum, diligentia,
„& animadversione extincta atque deleta sunt, du-
„bitamus, quomodo possumus tantam morum
„labem, vel proposito tam lato exemplo emen-
„dare?“

Non tam-
men sine
magna
difficul-
tate.
Candidè tamen fatetur, quòd „tanta pestilen-
„tia sit hujus mali, ut sanari prorsus, quantum,
„ait, mihi videtur, nisi Concilii auctoritate non
„possit.“

Quomodo Augustinus etiam adhuc Presbyter,
non obstante inveteratâ consuetudine, etiam pal-
lio religionis velatâ, necnon multorum auctori-
tate propugnata, hæc convivia in Ecclesia Hipponen-
si abrogaverit, constat ex ejus ad Alipium epi-
stola, & latè ostendimus in Scholiis ad Canonem
42. Codicis Africani.

Agapæ
prohibet
Canone
28. Lao-
diceno.
In Ecclesia Græca etiam sæculo IX. hæc convi-
via in Ecclesiis celebrari vetuit Synodus Laodicæ-
na Can. 28. sed ea est vis consuetudinis quantum-
vis pessimæ, ut difficillimè abrogetur, aut abroga-
ta facillimè reviviscat, si concupiscentiæ faveat, &
unâ religionis & pietatis velamento velari queat.

De præ-
senti Ca-
none
Trull.
Quapropter prædictum Canonem Laodice-
num hic rursus renovandum duxit Synodus, pœ-
namque segregationis in contradicentes adjecit.

Vetat autem & præsens Canon *Et accubitus
sternere in Dominicis locis vel Ecclesiis.* „Non-
„nulli enim, ut videtur, ait Balsamon, lectulos in
„medium Templi submittentes, hujusmodi Tho-
„ros, seu strata, vel ad majores delicias, vel alio-
„quin ad suam quietem, faciebant: quod et et-
„iam prohibitum.“

Notandum, quòd olim moris fuerit, ut cœ-
nantes in lectis accumberent, uti pluribus exponit
Rosinus lib. 5. antiq. Romanarum cap. 28. atque
ad hunc ritum verisimiliter reflectit Synodus, ve-
tans *accubitus sternere.*

CANON LXXV.

*Eos, qui in Ecclesiis ad psallendum accedunt, vo-
lumus nec inordinatis vociferationibus uti, &
naturam ad clamorem urgere; nec aliquid eo-
rum, quæ Ecclesia non conveniunt, & apta non
sunt, adsciscere; sed cum magna attentione &
compunctione psalmodias Deo, qui est occulto-*

*rum inspector, offerre. Pios enim & sanctos
fore filios Israel, jactant docuit oraculum.*

SCHOLIUM.

Circa cantum Ecclesiasticum, tria hoc Canone
observanda præscribuntur.

Concin-
nè psal-
ler dum.

Primum, ut, qui in Ecclesiis ad psallendum ac-
cedunt, nec inordinatis vociferationibus utantur,
nec naturam ad clamorem urgeant; lat manifestum
est, Synodum hanc loqui de clamorosa & vehe-
menti vociferatione, quæ etiam vi quâdam explo-
ditur, ideoque vim naturæ infert.

Has in Ecclesia, à fidelibus in unum orationis
causâ, cœuntibus, evitandas, jam pridem monue-
rat S. Cyprianus, in sermone de *Oratione Domi-
nica.* „Quando in unum cum fratribus conve-
nimus, & sacrificia divina cum Dei Sacerdote ce-
lebamus, verecundiæ & disciplinæ memores
esse debemus: non passim ventilare preces no-
stras inconditis vocibus, nec petitionem modestè
commendandam Deo tumultuosâ loquacitate
jactare: quia Deus non vocis, sed cordis auditor
est; nec admonendus est clamoribus, sed cogi-
tationes hominum videt.“ Cæterum assertum
suum multis probat testimoniis & exemplis è sa-
cra Scriptura petitis.

Psallendum esse in Ecclesia *suaviter & distin-
ctè*; omnes passim Synodi inculcant, suadentque
ipsa divinæ psalmodiæ reverentia, & finis, qui est,
ut per eam fideles ad pietatem & compunctionem
cordis, & pium in Deum affectum excitentur.
Unde S. Augustinus lib. 10. *confess. cap. 33.* dis-
cutiens, quid melius sit, an Psalmos in Ecclesia
cantare, an simpliciter recitare, tandem concludit.
„Cum liquida voce, & convenientissimâ modu-
latione *cantantur* (Psalmi &c.) magnam institu-
ti hujus utilitatem agnosco. Additque se magis
adduci *cantandi* consuetudinem approbare in
Ecclesia; *ut per oblectamenta aurium, infirmior
animus in affectum pietatis assurgat.*“

Secundò statuit præsens Canon, ne, qui in Ec-
clesiis ad psallendum accedunt, *aliquid eorum,
quæ in Ecclesia non conveniunt & apta non sunt,
adsciscant.* „Quales sunt, ait Zonaras hic, infra-
fracti illi modorum soni, argutaque cantilatio-
nes, atque ad scenicos metetricosque ritus, ni-
mis evariata modulatio, quibus, ait, præcipuè
hoc tempore in Templis, canentium cura im-
penditur.“

Nil leve
aut im-
modestū
sit in can-
tu Eccl.

Quòd de suæ ætatis cantoribus dixit Zonaras,
hoc sanè in nostris Templis vel dolenter verissi-
mum esse, conspicimus, ac sæpe non nisi levem, ne
quid pejus dicam, musicam in Templis nostris au-
ditus, inò non rarò theatrales potius quàm Ec-
clesiasticos modulos, inferri auribus nostris dole-
mus.

Tertiò statuit Canon, *ut cum magna attentione
& compunctione psalmodias Deo, qui est occulto-*
rum inspector, offeramus. Nimirum juxta illud
Apostoli Eph. V. cap. 5. v. 19. *cantantes in cor-
dibus vestris Domino.* Ad quæ verba Theodore-
tus ait: „corde canit, qui non solum linguam
„movet, sed etiam mentem excitat ad eorum, quæ
„dicuntur, intelligentiam.“

Attentè
& cum
compun-
ctione
psallend-
um.

De his omnibus latius egimus tom. 2. in *differ-
tatione de horis Canonicis part. 1. cap. 4. 5. & 6.*



CANON LXXVII.

Quòd non oportet intra sanctos ambitus canponariam officinam, vel ciborum species proponere, vel alias venditiones facere, suam venerationem Ecclesiis servantes. Salvator enim noster, & Deus, per suam in carne vivendi rationem nos instituens, non facere domum Patris sui domum negotiationis iussit; qui etiam numulariorum mensas effudit, & eos qui sacrum commune faciunt, ejecit. Si quis ergo in prædicto delicto deprehensus fuerit, segregetur.

SCHOLIION.

Res venales in Templis non exponantur

SCopus hujus Canonis est, ut ab Ecclesiâ ejusque ambitu amoveantur omnia profana, ac præcipuè quæ ad quæstum, seu negotiationem pertinent, conformiter ad ea quæ nos docuit Salvator, scilicet, non facere domum Patris sui, domum negotiationis, qui etiam numulariorum mensas effudit, & eos qui sacrum commune faciunt, ejecit, uti loquitur Canon noster.

At notandum, quòd non agat Canon contra hæc agentes in Ecclesiis, sed in eos qui intrâ ambitum sacri loci ea faciebant. "Quod enim in medio Templi, vel ejus vestibulo, sit caupona, vel mercatorum conventus, nulli Christiano ne in mentem quidem venit, ait hic Balsamon: "unde nec de his loquitur Canon, sed de sacris ambitibus duntaxat. "Sunt verò, inquit Zonaras hic, sacri ambitus, omnia sanctorum Templorum septa, ita ut neque in Templorum aëis, neque in vestibulis, aliquid ejusmodi fieri Canon sinat."

His itaque ambitibus continentur & Cameteria nostris Ecclesiis Parochialibus annexa, à quibus profanas actiones, ac signanter mercatus, & quæ ad quæstum instituuntur, etiam Latinæ Ecclesiæ recentiora Conciliorum decreta abesse volunt.

Neque in Cameteriis de quibus Concilium Lugdunense sub Greg. X. Synod. Camerac. 1550.

Concilium Lugdunense, sub Gregorio X. in cap. 2. de immunit. Eccles. in VI. nominatim de his Cameteriis loquens, statuit, ut cessent in Ecclesiis, earumque Cameteriis negotiationes, & præcipuè Nundinarum as fori cujuscunque tumultus.

Inter antiqua statuta Diœcesis Cameracensis, renovata in Synodo Diœcesana anno 1550. tit. 13. legitur: "inhibemus ne in Ecclesiis & Cameteriis judicia secularia ferventur, neque ludi histriorum & jocularum exhibeantur, nec forum rerum venalium teneatur, nec bona, seu edicta secularium judicum proclamantur."

Audomarenfis 1583.

Synodus Audomarenfis sub Joanne Six, anno 1585. tit. 23. cap. 1. statuit: "loca sacra, Ecclesias & Cameteria Pastores libera servare studeant."

Buscoducensis sub Metfio.

Consonant & aliæ Belgicæ Synodi, præcipitque Synodus Buscoducensis sub Metfio tit. 23. cap. 4. "Cameteria per Magistros Fabricæ, muris, fossis, sepibus vel cancellis ita communiti & obstrui, ut ad ea, vaccis, porcis aut aliis brutis, nullus pateat accessus, ne ea hoc modo dehonestari aut defædari contingat: inhibens insuper, ne ad passionem animalium immundorum, ut potè vacarum & porcorum elocentur."

Antverpiensis sub Miræo.

Idipsum servari mandat Synodus Antverpiensis, sub Miræo tit. 22. cap. 11. "Addens insuper, ne in eis fiant strues lignorum, fæni, aut domus, nisi fortè pro Scholâ ædificentur; mul-

toque minùs, ait, permittuntur in eis lusus, aut insolentiæ puerorum, aut aliorum quorumcumque."

Synodus Namurcensis anno 1539. tit. 3. cap. 67. inhibet "ne herbæ cæmeteriorum ab ullius, etiam Pastoris, animalibus depascantur; nec eoloci lintea dealbentur, neque in Ecclesiarum vestibulis grana excutiantur." Quin & cap. 68. addit: "in Cæmeteriis arbores frugiferæ deinceps non plantentur: " & cap. 70. "pueri non permittantur ludere in Cæmeteriis: " tandem cap. 71. in iisdem Cæmeteriis aut locis sacris, nullæ merces venales exponantur."

Horum omnium decretorum, idem qui hujus Canonis, scopus est, scilicet rejicere à locis sacris omnes profanas actiones, præsertim autem, quæ quæstum & negotiationem sapiunt, ut domus Patris Cælestis, sit domus orationis, & non negotiationis.

Porro cum canon alludat ad factum Christi ejicientis ementes & vendentes in Templo; non obscurè innuit, etiam ad ea, quæ sacrificium aut Ecclesiæ usum spectare possent, hanc prohibitionem extendi: cum teste venerabili Bedâ quæ in Templo Ierosolymitano vendebantur, & à Christo ejiciebantur, ad usum sacrificiorum illius temporis pertinerent.

Unde S. Carolus in Synodo sua Provinciali I. p. 2. cap. 57. statuit: "Ne Clericus, aut alius quisvis in Ecclesiis earumve Cæmeterio, atrio, vestibulo, aut portica, foribusve, quidquam venale exponat, ne si ad usum quidem sacrificii vel Ecclesiæ futurum sit." Idem iisdem verbis habet Synodus Aquensis anni 1585. pluresque aliæ Synodi.

Porro nulla negotiatio directiùs sanctitati locorum sacrorum opponitur, nullaque oculos diviniæ majestatis magis offendit, quàm sacrilega illa, quâ Sacerdotes & Ministri altaris de ipsis Religionis mysteriis & rebus ad cultum Dei spectantibus mercantur, nec Dei gloriam & proximi salutem, sed lucrum & temporalia commoda querunt. Igitur hujusmodi mercatura & mercatores ex Ecclesiis præcipuè essent expellendi; nec dubium, quin Christus in eâ de Templo ementium & vendentium, ejectione, præcipuè similes sacrilegos mercatores præ oculis habuerit.

CANON LXXVII.

Quòd non oportet sacris initiatos, vel Clericos, vel Ascetas, id est, Exercitatores seu Monachos, lavari cum mulieribus, nec omnem Christianum Laicum. Hac est enim prima condemnatio apud Gentes. Si quis autem hac in re deprehensus fuerit, si sit quidem Clericus, deponatur: sin autem Laicus, segregetur.

SCHOLIION.

APud Orientales, aliosq; calidioris climatis Indias, Balnearum, seu Lavacrorum frequentissimus usus fuit, imò tanta penè lavandi, quàm edendi & bibendi existimabatur necessitas & voluptas. Hinc & Monachis Balnearum usum Patres permiserunt; & quodvis olim Monasterium, ait hic Christianus Lupus, quomodo culinam, ita & balneum habuit; imò inter duriores pœnitentiæ molestias, numerabatur balneis abstinere: hinc diebus quadragesimæ balneis non tandem invaluit; quod Græci posteriores extenderunt ad quartas & sextas ferias, jejunari solitas, uti liquet.

Namurcensis 1539.

Nequidem ad sacrificium pertinentia illic vendantur.

Quinam mercatores potissimum ex Ecclesiis eliminandi.

Balnea cum mulieribus communia vetera.

ex responsis Nicolai I. ad consulta Bulgarorum
cap. 6

Quamvis balneorum usus, lavandi que mos à nemine unquam fuerit improbatus, imò iudicatus fuerit corporibus à sordibus purgandis conveniens, quin & quodammodo necessarius, præsertim in regionibus calidioribus, tamen in his honestatem & castimoniam requisierunt etiam Ethnici.

Atque imprimis improbarunt promiscua illa balnea, in quibus utriusque sexûs personæ simul lavarentur etenim de Trajano Augusto encomiasticè scribit Ælius Spartianus: *Balnea pro sexibus separavit* & de Alexandro Augusto Lampridius: *Balnea mixta Roma exhiberi prohibuit.*

Videbant sanè vel ipsi Ethnici solo lumine naturæ, fædas & inhonestas esse lotiones, ubi ipsa corpora nudantur; hæcque sine castitatis læsione, aut saltem ejus periculo fieri non posse.

Vidit & illud Justinianus, qui *Novellâ 22. cap. 16.* edixit: "si mulieris tanta sit libido, ut etiam cum viris voluptatis occasione lavetur, licentia datur viro, mittere ei repudia, ut lucrati dotes, & antenuptiales habere donationes, " Et *Novellâ 118. cap. 8.* inter legitimas repudii causas reponit: si mulier cum viris extraneis, nolente marito, lavetur."

Rectè ergo dixit in præsentis Canonis Synodus, quod virum Christianum lavari cum mulieribus, sit prima condemnatio apud Gentes, utpote quod ipsæ Gentes solo lumine naturæ condemnarunt, tanquam honestati & pudicitia adversum.

Quin eundem in finem legibus Romanis jam pridem cautum fuit; ne nudus quidem miles in conspectu exercitûs lavaretur *Lege 12. Cod. de re Militari, lib. 12.* additâ ratione; ne "deprope-rans publicos oculos nudatus incestet, sed procul à cunctorum obtutibus in inferioribus partibus fluviorum hoc ipsum faciat"

Ad hæc verba reflectens Dionysius Gothofredus, in notis ait: "Quod summo sanè pudore factum, quodque hodiè nobis probro est, in militibus etiam nudata corpora non tulisse, qui summâ inverecundiâ nudos omnimodo in publicis fluviiis lavari æstate sinimus & spectamus."

Eandem legem referens Zypæus, in *notitiâ juris Belgici tit. ad L. Jul. de adult. num. 5.* ait: "quod & castarum civitatum edictis sæpius proclamatur, sed non usquequaque servatur. " negligentiâ nimirum Magistratum & Superiorum, qui utinam seriò attrnderent peccata ex publicâ illâ membrorum nuditate provenientia, & quomodo suâ in exequendis Edictis negligentiâ eorum efficiantur participes.

Notandum hoc Canone, uti & *Canone 30.* Laodicensi, qui hîc renovatur, quatuor personarum genera enumerari, nimirum sacris initiatos, Clericos, Ascetas, & Laicos, quos ita distinguit Balsamon, hîc: "Sacris initiati sunt, inquit, qui sunt ex sacro Tribunali, qui etiam ordinantur; Episcopi, scilicet, Sacerdotes, Diaconi, & Hyppodiaconi, Clerici, omnes qui extra sacrum Tribunal, in Templis serviunt; ut Lectores, Ostiarii, & alii ejusmodi. Asceta autem, Monachi, qui Episcopalem characterem non acceperunt, sed solam tonsuram Monachalem: qui Episcopale tonsuram acceperunt dicuntur Clerici, Ascetarum autem & Monachorum nulla est differentia."

Hæc Balsamon, è quibus sat patet qui hoc Canone Laici dicantur, nimirum communes fideles, qui non sunt de uno prædictorum trium generum personarum.

Hîc quoque habemus, Monachos à Laicis distinguere, quatenus vitam etiam à communi Laicorum vivendi ratione separatam profitentur; sed & eosdem à Clericis distinguere, tanquam nullo Episcopali caractere insignitos, nec Ecclesiæ ministeriis per Episcopos adscriptos.

Unde pœna segregationis hoc Canone inflictæ, etiam Monachos concernit, uti monet Zonaras hîc; quia cum nullum characterem seu tonsuram Clericalem habeant, nequeunt ut Clerici deponi, sed dumtaxat ut Laici segregari.

C A N O N LXXVIII.

Quod oportet eos, qui illuminantur fidem discere, & quintâ septimana feriâ Episcopo, seu Presbyteris renuntiare.

S C H O L I O N.

Præfens Canon coincidit cum *Canone 46.* Laodicensi, cujus proinde Scholion videri poterit. Hoc unum hîc notandum ad vocem *septimana* nullum addi epitheton quo referatur ad unam singularem septimanam redditi fidei Episcopo faciendâ, uti nec additur in *Canone 46.* Laodicensi, prout legitur apud Græcos: atque hinc arguitur, Græcam Canonis illius lectionem esse genuinam, in eoque Canone, uti & præsentis, non agi de solemnâ symboli redditione, à Catechumenis immediate ante Baptismum fieri solitâ; sed de privatâ instructione & probatione, circa fidei & Religionis mysteria, quemadmodum ad dictum Canonem Laodicenum notatum est.

C A N O N LXXIX.

Absque ullis secundinis ex Virgine partum esse confitentes ut qui sine semine constitutus sit, idque toti gregi annuntiantes, eos qui propter ignorantiam aliquid faciunt quod non decet, correctioni subjicimus. Quare quoniam aliqui post sanctæ Christi Dei nostri natiuitatis diem simulam coquere ostenduntur, & eam sibi invicem impertiri, honoris scilicet prætextu secundinarum impollute Virginis matris; statuimus, ut deinceps nihil tale fiat à fidelibus. Neque enim hoc honor est Virginis, quæ supra mentem & sermonem, quod comprehendere non potest verbum peperit carne, ex communibus & ex iis quæ in nobis sunt, inenarrabilem ejus partum definire, metiri, ac describere. Si quis ergo deinceps hoc facere aggressus fuerit, si sit quidem Clericus, deponatur: si vero Laicus, segregetur.

S C H O L I O N.

Christianus Lupus, in Scholio ad hunc Canonem arguit Synodum ab antiquæ Ecclesiæ dogmate recedere, quòd Domino Jesu Christo secundinas deneget in natiuitate. *Secunda* seu *secundina* vocantur membranæ quibus infans in utero matris involvitur, quæque infantem enixum comitantur: Christum more aliorum infantium his membranæ in utero Virginali jacuisse involutum, atque eis circumdatum ex utero materno produsse SS. Patres agnovisse videntur, & ex professo docet S. Hieronymus in libro contra Helvidium; uti rectè notavit Lupus ibidem.

Verùm non proinde constat, num Synodus aliter de hoc antiquo dogmate senserit; non enim de his secundinis hîc Canon loquitur, si lectionem

Græc-

Ipsi Ethnici id viderunt.

Idem Justinianus Imp.

Publica locio prohibita.

Distinctio sacris initiatorum Clericorum, Ascetarum & Laicorum

Catechumeni ferri's quintis ab Episcopo seu Presbytero instruendi & probandi.

Diva Virgo non est passa puerperium.

Græcorum attendamus; sed de puerperio. Ita enim Græci legunt: *Absque PUERPERIO*, editum ex Virgine divinum partum esse confitentes, &c.

Ita hunc Canonem legisse Balsamonem & Zonaram, ex eorum commentariis patet; definitque Zonaras puerperium de quo agit Canon; quod sit emissio fœtus, quam doloris sensus, ac profluviū sanguinis comitantur. Quibus quidem malis, ait, nullatenus obnoxiam fuisse Deiparam credimus.

Sanè credimus & nos, Deiparam sine ullo doloris sensu, divinum suum fructum enixam, esse, ideoque nec more aliarum mulierum puerperium subiisse.

Noluit igitur Synodus in honorem Deiparæ, immediatè post natalem Domini exhiberi, quæ in aliarum mulierum puerperio fieri solebant, ne insinuari videretur, Deiparam puerperio fuisse obnoxiam. "Quæ enim puerperium non agnovit, quid nos ei quæ puerperarum sunt, exhibemus," ait Zonaras.

Credere videntur & hodiè è vulgaribus nonnulli, Deiparam in puerperio fuisse à Christi Nativitate usque ad Festum Purificationis; atque in ejus memoriam in plerisque Ecclesiis inductum esse in diebus Sabbati per id tempus occurrentibus esum carniū; qua de re, cum occasio fuerit, Pastores populum instruere poterunt.

CANON LXXX.

Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel eorum qui in Clero enumerantur, vel Laicus nullam graviolem habet necessitatem, vel negotium difficile, ut à sua Ecclesia absit diutissime, sed in civitate agens, tribus diebus Dominicis in tribus septimanis unâ non conveniat, si sit quidem Clericus, deponatur: si verò Laicus, segregetur.

SCHOLION.

Contra eos qui tribus Dominicis absunt à Parochiali officio.

PRæfens Canon coincidit cum Canone XIV. Sardicensi, cujus Scholion videri potest. Ratio ob quam hæc negligentia in Clericis puniatur, depositione, & in Laicis segregatione, à Balsamone annotatur: "Ex eo enim duorum alterum apparet, eam vel divina præcepta, divinaque psalmodias, & orationes non curare, vel non esse fidelem. Cur enim 20. diebus cum Christianis versari noluit, unâque cum Dei fidei populo communicare?"

Hoc eodem fundamento, jam pridem Synodi præsumpsere, eos qui tribus Dominicis à parochiali officio abfuerint, ex contemptu abesse judicandosque & parochiam contemnere, uti in *jure Eccles. tom. 1. parte 1. tit. 3. cap. 11. annotatum est.*

CANON LXXXI.

Quoniam in nonnullis locis didicimus in Hymno, quo ter sanctus canitur, additamenti loco dici post illud, sanctus immortalis, hoc, qui crucifixus es pro nobis, miserere nostri: id autem ab antiquis sanctis Patribus, ut à pietate alienum, ex hoc Hymno ejectum est cum scelerato heretico, qui hanc vocem innovavit: nos quoque confirmantes ea, quæ à sanctis nostris Patribus prius piè constituta sunt, anathematizamus eos, qui post præfens Decretum ejusmodi vocem admittunt in Ecclesiis, vel aliquo

alio modo sanctissimo Hymno adjungunt. Et si est quidem Sacerdotalis Ordinis, qui transgressus est eum, Sacerdotali dignitate privari jubemus: sin autem Laicus, vel Monachus, segregari.

SCHOLION

HOC Canone sermonem esse constat de Hymno De Trifagione, qui Trifagion, sive ter sanctus vocatur, ejusque quemque puero in aëre elevato divinitus fuisse revelatum tempore Procli Archiepiscopi Constantinopolitani & Theodosi junioris vulgò creditur, historiamque ex Nicephoro aliisque recitat Baroni in annalibus ad annum 446. vel ad an. 447. sed ante hunc annum è vivis excefferat Proclus. (a)

Quidam Monachus, dictus Petrus Fallo sive Gnapheus, qui è Monasterio ob hæresim eiectus, Antiochenam Sedem operâ Zenonis Prætoris & Leonis Imperatoris iteratò invasit, huic Hymno addidisse scribitur hæc verba: *Qui passus est pro nobis*, quibus adscribere videbatur Passionem sanctissimæ Trinitati.

Extant sub nomine Felicis III. Episcopi Romani duæ epistolæ ad dictum Petrum Fullonem Episcopum Antiochenum, & tertia ad Zenonem.

In priore arguit Petrum Fullonem sive Gnapheum, quòd; "sicuti hi qui piscationem sectantur, hamum escâ contegunt, & ex improvîso pisces capiunt; sic & tu, ait, *Angelicæ laudationi additionem induxisti, & Trifagia deprecationum*, quasi pietatis obtentu, diram impietatem excogitasti."

Ulterius addit. "Ex pluribus Orientalibus Provinciis Litteras suscepimus, significantes nobis quomodo veneratio tua dudum sopitum Valentiniani dogma resumpsit, & irritatur à vobis salvatoris Incarnatio; quòdque in Manichæorum dogma, & Arii & Apollinaris Paulique Samaritani incidistis."

Post hæc refert historiam renuntiati Trifagii, & per ejus decantationem, terræ motus sedati, prout hæc à Græcis ex eorum Menologio publicè in Ecclesiâ annuatim legitur, dein addit: "at quàm temerè, ut Scripturas divinas reliquas, ita & Angelorum laudem, pervertere præsumpsisti."

Secunda epistola, quæ ex Synodo Romanâ ad eundem scripta dicitur, continet sententiam condemnationis ejusdem Petri Fullonis. In tertiâ Zenonem hortatur, ut suâ auctoritate intemperatam Ecclesiæ fidem tueri velit.

Præter has Felicis Romani Pontificis Litteras, referuntur plures variorum Orientalium Episcoporum ad ipsum Petrum Fullonem, seu Gnapheum epistolæ, quibus illum de variis hæresibus arguunt & signanter de prædicto ad Trifagion additamento. Verùm has omnes epistolas Felicis Romani Pontificis, necnon aliorum Episcoporum, unâ cum Synodo Romanâ in quâ anno 483. prædictæ Episcoporum Litteræ fuissent recitatæ, & è quâ suas dedisse fertur Romanus Pontifex, supposititias, & ab aliquo homine Græco confictas pluribus probat Henricus Valesius, in notis ad fragmenta Theodori Lectoris, eique consentiunt Ludovicus

(a) De hoc prodigio nonnulli dubitant, inter varias de suo dubio rationes eam potissimum proponunt; "sufficiebat animus sacræ scripturæ peritus, in quâ voces illæ omnes diviæ reperiuntur, quibus colligendis pius quivis erat idoneus; in iis verò, quæ indubitata sunt, illud invenimus, quòd absque necessitate non sint admittenda miracula."

in sua Bibliothecâ Ecclesiasticâ, & Natalis Alexander, in Synopsi historica sæculi V. cap. 3. art. 27.

Illud constat à pluribus seculis, in Oriente hanc additionem in sensum hæreticum acceptam fuisse; quemadmodum & Patres hujus Synodi eam accepisse, ex hoc Canone patescit: ideoque & tam sollicitè eandem rejiciendam decernunt.

Hoc tamen & ex hoc Canone intelligimus, tempore hujus Synodi, id est sub finem sæculi VII. in aliquibus locis additamentum illud fuisse retentum.

Et sanè dubitari nequit, quin in sensu Catholico sumi queat, intelligendo scilicet totum *Trisagion* de Christo, qui & *sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis* verè dici potest, & Orientales quosdam Hymnum hunc in eo sensu accepisse, ipsumque propterea additamentum admisisse testatur Ephremius apud Photium in Bibliothecâ num. 228. qui scribit: "Asserit Ephremius eundem Hymnum Orientales Christo Jesu attribuere, ac propterea nihil peccare, tametsi adjiciant, *crucifixus pro nobis*: Constantinopolitanos verò atque Occidentales, in supremum sacratissimumque bonorum omnium fontem consubstantialem Trinitatem, sententiam referre; idcirco non sustinere illud addi, *crucifixus pro nobis*, ne qua passio Trinitati attribuatur. In multis enim Europæ ditionibus, pergit, pro illo, qui *crucifixus est pro nobis*, hoc reponunt; *sancta Trinitas misere-re nobis*."

Hæc ille, qui & asserit, neutram partem esse arguendam; quando in cæteris piis dogmatibus nihil depravare comperiantur; neque ullam se reperire rationem, eum alterutra pars reprehendatur, vel in disquisitionem revocetur. Quod pluribus confirmat Lupus ad hunc Canonem; qui ibidem fusiùs originem hujus Trisagii, ejusque additamenti prosequitur. Addi potest Hugo Menardus in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii pag. 10. & 11.

Hymnus hic relatus ad *sanctam Trinitatem*, sine additamento frequenter in Officio divino apud Græcos repetitur, apud Latinos autem publicè & solemniter decantatur Græcè & Latine feriâ sextâ Parasceves, idque formâ Græcorum sine additamento: idque jam tempore Ephremii apud Occidentales, seu Latinos receptum fuisse, ex relatis verbis constat.

C A N O N LXXXII.

In nonnullis venerabilium imaginum picturis, Agnus qui digito præcursoris monstratur, depingitur, qui ad gratiæ figuram assumptus est, verum nobis agnum per legem Christum Deum nostrum præmonstrans. Antiquas ergo figuras & umbras, ut veritatis signa & characteres Ecclesiæ traditos, amplectentes, gratiam & veritatem præponimus, eam ut legis implementum suscipientes. Ut ergo quod perfectum est, vel colorum expressionibus omnium oculis subjiciatur, ejus qui tollit peccata mundi, Christi Dei nostri humana forma characterem etiam in imaginibus deinceps pro veteri agno erigi ac depingi jubemus: ut per ipsum Dei verbi humiliationis celsitudinem mente comprehendentes, ad memoriam quoque ejus in carne conversationis, ejusque passionis & salutaris mortis deducamur, ejusque qua ex eo facta est mundo redemptionis.

Van Espen Oper. Posth. Pars II.

S C H O L I O N.

Rationem prohibitionis, de qua in Canone, esse quòd voluerint *cessare typos præsentis veritate*, id est *Agnum* figuram Christi, præsentem Christo, rectè advertit Caranza, additque, ideo & prohibuisse *Spiritum sanctum sub columba figurari, & Magos sub stella*. His Caranzæ verbis relatis subdit Molanus in oratione de *Agnis Dei* cap. 16. *ceterum Græcos hic nec accusandos, nec defendendos suscipio*.

Et meritò; sciebat quippe vir eruditus, posse uno tempore & certis locis picturas aliquas jure prohiberi ob periculum erroris, in quem rudis populus earum occasione prolapsurus timetur; quæ alio tempore, & alio loco, ubi populus sat instructus fuerit, vel periculum erroris aliundè cessat, permitti, & exponi possunt, uti de imagine sanctissimæ Trinitatis idem Molanus doceat lib. 2. hist. ss. imag. cap. 4.

Nequaquam ergo canon contrariatur consuetudini Romanæ Ecclesiæ *Agnos Dei* effigurantis, & per Romanum Pontificem solemniter benedictis; de qua latè agit Molanus in dicta oratione; cum hac in re, varia possit esse, salvâ Fidei integritate, Ecclesiarum disciplina.

Evidens autem est, Patres in hoc ipso canonis dogma Catholicum de cultu imaginum exprimere, ideoque & in Synodo VII. à defensoribus imaginum hic canon sub nomine *sanctæ & universalis sextæ Synodi* lectus est, atque à Synodo probatus. Act. 4. apud Labb. colum. 752.

Ritum benedictionis & distributionis Amuletorum ex ordine Romano, Alcuino, & Amalario describit Molanus in speciali oratione de Amuleto impressâ.

C A N O N LXXXIII.

Nemo mortuorum corporibus Eucharistiam communicet; scriptum est enim: accipite, & comedite; mortuorum autem corpora, non possunt accipere, nec comedere.

S C H O L I O N.

Expositus est hic Canon, in Scholio ad Canonem 18. Codicis Africani, qui iisdem planè verbis conceptus est.

Illud hic ex Balsamone habemus, quod etiam ejus ætate "sanctus panis traderetur Antistitibus post mortem & sic sepelirentur; " additque, "existimo hoc fieri ad avertendos dæmones, & " ut per ipsum tanquam viaticum deducatur ad " cælum, qui magnâ & Apostolicâ professione dignus est habitus."

Id non contrariari huic canonis, intelligi potest ex iis quæ ad citatum canonem Africanum notata sunt.

C A N O N LXXXIV.

Canonicos Patrum ritus sequentes, de infantibus quoque decernimus, quoties non inveniuntur firmi testes, qui eos absque ulla dubitatione baptizatos esse dicant; nec ipsi propter aetatem de sibi tradito mysterio aptè respondere possent, debere absque ulla offensione baptizari: ne forte ejusmodi dubitatio eos ejusmodi purificationis sanctificatione privet.

SCHOLIION.

Baprizan-
di infan-
res, de
quorum
Baprizmo
dubatur.

PER *Canonicos Patrum ritus*; (Cui Gr. *Canonicas leges*;) hinc intelliguntur ritus, sive leges, Canonicè sive in Synodo constituti; alluditque Synodus ad *Canonem 75. Codicis Africani*, quo idem decretum est; unde sufficit hinc istius Canonis Scholion.

CANON LXXXV.

In duobus vel tribus testibus confirmari omne verbum, ex scriptura accepimus. Servos ergo, qui à suis Dominis manumittuntur, sub tribus testibus eo frui honore decernimus, qui praesentes libertati vires & firmitatem afferent; & ut iis, quae ipsis testibus facta sunt, fides habeatur, efficient.

SCHOLIION.

Servorum
manumif-
forum li-
bertas
duobus
vel tribus
testibus
probanda.

HUNC Canonem, in favorem libertatis editum esse commentatores agnoscunt: imò cum pro fundamento Synodus assumat sententiam Evangelicam: *In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum*, Balsamoni visum est: "ad ostendendam libertatem, duos testes sufficere, eo quod leges & Canones libertati maxime faveant, & quandoquidem cujuslibet servi pretium unam hyperpyrorum libram non excedit: in unam autem hyperpyrorum librâ constitutum est duos testes sufficere, omninò & ad ostendendam libertatem, duo testes sufficient, praesenti Canonem consequenter, qui est pro libertate editus, & dicit ab initio; *in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum.*"

Plura ibidem apud Balsamonem & Zonaram videri possunt, quae hodiè praesertim in his Provinciis parum usui sunt; eò quòd hinc servitus, quae homines servos & mancipia efficit, exulet; & omnes pro liberis hominibus habeantur.

CANON LXXXVI.

Eos qui ad animarum lapsus, meretrices cogunt & alunt, si sint quidem Clerici, segregari ac deponi; si verò Laici, segregari.

SCHOLIION.

Contra
Lenones
& similes.

QUI ad animarum lapsus, meretrices cogunt & alunt, non absimiles sunt lenonibus, qui nimirum mulieres, & puellas ad actum venereum pelliciunt, aut domi alunt, ut ex meretricio quaestum faciant, quos leges civiles, etiam Ethnicorum severissime puniunt; uti notavi in *jure Eccles. tom. 1. parte 3. tit. 4. cap. 4.*

Clericus
hujus cri-
minis reus
deponitur
& segre-
gatur.

Præsens Canon, secundum lectionem Hervetianam, quam sequimur, Clericum hujusmodi crimen committentem non solum deponi, sed & segregari jubet; at juxta lectionem, quam cum commentariis Græcorum exhibet, Guillelmus Beveregius, Clerico sola depositionis poena irrogatur. Ita enim legitur: *si sint quidem Clerici, deponi definimus; si verò Laici segregari.* Atque ita legisse Balsamonem, ex ejus in hunc Canonem commentario patescit.

At Zonaram legisse Canonem juxta lectionem Hervetianam, probat ejus commentarius: dicit enim: "Alere meretrices, est eis ob lucrum ex meretricio quaestu percipiendum, cum anima-

rum pernicie alimenta suppeditare. Post hæc subjungit. "Quam rem si civiles quoque leges prohibeant, multo illam certè magis Ecclesiastica, ac spirituales debent averfari." Ex his tum concludit: "Proinde graviores etiam poenae Clericis in hoc genere delinquentibus irrogatae: illos siquidem, quod non ita crebrò reperias, deponi simul, ac segregari jubet. Pro quovis enim alio supplicio in eos qui Clero adscripti fuerant, plerumque depositio sola sufficere visa fuit."

Nihil evidentius, quàm quòd Zonaras supponit, Clericum hujus criminis reum, vigore hujus Canonis, non tantum deponi, sed & segregari, idque specialiter ob atrocitatem hujus criminis fuisse statutum.

CANON LXXXVII.

Qua maritum reliquit, est adultera, si venerit ad alium, ut vult sacer & divinus Basilus, qui ex Jeremia Phopheta hoc optimè collegit: Quod si alii viro uxor fuerit, ad maritum suum non convertetur, sed polluta polluetur. Est rursus: Qui autem detinet adulteram, est insipiens & impius. Si ergo prater rationem à marito recessisse visa sit, ille quidem venia dignus est, hac verò poenâ. Illi autem venia dabitur, ut Ecclesie communicet. Sed ei qui legitime sibi datam uxorem relinquit, & aliam ducit, è Domini sententia est adulterii judicio obnoxius. A Patribus enim nostris statutum est, ut qui sunt ejusmodi, annum desleant, biennio audiant, triennio substernantur, & septimo cum fidelibus consistant, & sic oblatione digni habeantur.

SCHOLIION.

UXOREM, quæ sine causâ à marito discessit, & alteri carnaliter conjuncta fuit, adulteram esse Canon pronuntiat; similiter & virum, qui sibi datam legitime uxorem relinquit, & aliam ducit, adulterii judicio obnoxium pronuntiat.

Hinc in eos decernit poenam, seu poenitentiam, quam adulterii reis imposuit Basilus, in sua epistolâ Canonica ad Amphilochium: *nimirum annum desleant, biennio audiant, triennio substernantur, & septimo cum fidelibus consistant, & sic oblatione digni habeantur.*

Hic nominatim habemus expressos quatuor illos famosos gradus poenitentiae, quos etiam sub finem sæculi VII. in Ecclesiâ Græcâ viguisse praesens Canon ostendit. De his verò gradibus, videri possunt quæ in *jure Eccles. tom. 1. parte 2. sect. 1. tit. 6. cap. 3. de iis notavi.*

In editione Beveregiana, Canon hic concluditur his verbis, quæ in Hervetianâ desiderantur: *si cum lacrymis poenitentiam egerint.* Neque obscurum est ad hanc clausulam reflexisse Balsamonem, in hoc ad lectorem monito. "Animadvertite, inquit, quòd Patres ubique puram poenitentiam in animæ delictis exigunt; & propterea concesserunt Episcopis qui sunt in eo loco, poenas augeere, vel diminuere, pro ejus, qui punitur compunctione."

Quidquid sit de hujus clausulæ additione, hoc sufficienter insinuant Patres, se ante adulteri reconciliationem non nudam peccati confessionem, aut verbis testatam poenitentiam, sed opera, quibus peccati sui detestationem manifestam faciat, desiderare: quod utinam hodiè animarum directores omnes sedulò attenderent!

C A N O N LXXXVIII.

Nemo intra eadem sacram quodvis jumentum introducat; nisi forte viator quispiam, maximâ urgente necessitate, domuncula vel diverforii indigens in id Templum diverterit. Nisi enim jumentum introductum fuerit, ipsum quidem nonnunquam peribit, hic vero propter jumentum amissionem, & facultatis ad iter peragendum ex eo profectam inopiam, mortis periculo tradetur. Sabbatum enim propter hominem factum esse docemur: quamobrem & per omnia preferendam esse existimare hominis salutem & incolumitatem. Quocirca si quis deprehensus fuerit sine necessitate jumentum in Templum introducens, si sit quidem Clericus, deponatur: si verò Laicus, segregetur.

S C H O L I O N.

Res profana, ut jumentum, in Templum non inducenda sine urgente necessitate.

SCopus & spiritus hujus Canonis est, præcavere, ne sacra loca profanentur, & ad usus profanos impendantur: ita tamen ne hujus profanationis timore, seu superstitionis & Pharisaicâ ipsius loci sacri reverentiâ, caritas proximo impendenda ludatur: ac memoria teneatur ejus, quod adversus Pharisaicos Sabbati Zelatores dixit Christus: *Sabbatum factum esse propter hominem, non autem hominem propter Sabbatum.* Marc. cap. 2. v. 27.

Consequenter concludunt hîc Patres, jumentum non sine necessitate in Templum introduci posse, ut reverentiâ Templi consulatur: sed maximâ urgente necessitate, utpote quod aliâ jumento, imò & homini periculum imminet, permittit impunè in Templum jumentum introduci: ut ita Synodus ostendat se nolle reverentiam Templo materiali debitam Pharisaicè saluti hominis præferre, atque hoc pacto probet Templum factum esse propter hominem, non autem hominem propter Templum.

Quod dicit Canon de jumento, id etiam circa alia animalia, & cæteras res merè profanas, & usibus secularibus & familiaribus destinatas obtinere ipsa ratio probat, & Synodi nostræ Belgicæ supposuerunt. Ita Synodus Namurcensis anno 1604. tit. 11. cap. 12. interdixit "tam Ecclesiarum Rectoribus, & aliis Clericis, quàm locorum incolis, ne in illas cum suis pecoribus, & aliis bestiis ac domesticis utensilibus se recipiant, sed nec in illis dormire, comedere aut bibere præsumant. Quod si absoluta necessitas ob vim aut incursus hostium, aliquos ipsorum ad hoc compellat, statim illâ cessante, non solum pecora, sed etiam dicta utensilia, quæ magnum præstant divinis Officiis impedimentum, amoveant, Templaque ipsa diligenter mundentur, priusquam in illis sacrosanctum Missæ sacrificium celebretur, sub pœna suspensionis à divinis in Clericos, & excommunicationis in Laicis decernendæ."

Simile habemus decretum in Concilio Lateranensi sub Innoc. III. Can. 19. prohibens "ne supplicetilia in Ecclesiis admittantur nisi propter hostiles incursus aut incendia repentina, seu alias necessitates urgentes... sic tamen, ut necessitate cessante, res in loca pristina reportentur."

C A N O N LXXXIX.

Dies Salutiferæ passionis in jejunio & oratione & Van Espen Oper. Posth. Pars II.

cordis compunctione peragentes fideles usque ad mediam magni Sabbati noctem jejunare oportet; cum divini Evangelistæ Matthæus & Lucas, ille quidem per vespere Sabbati, hic verò per id, valde diluculo, noctis nobis tarditatem describant.

S C H O L I O N.

Dies salutiferæ Passionis hîc dicuntur dies hebdomadæ sanctæ, quæ Paschalem celebratam proximè præcedit, propterea quòd Christus in eâ passus sit. Undè nonnunquam tota hebdomada salutiferæ Passionis dicitur; sed communius apud Græcos, hebdomada magna, & apud Latinos major appellatur.

Rationem hujus nomenclaturæ latè exponit S. Chrysostomus homiliâ 30. in Gen. XI. "magnam ait, vocamus hebdomadam... quia magna, quædam & ineffabilia bona contigerunt nobis in illa... & idcirco multi & jejunium intendunt & vigiliis & pernoctationes sacras, & elemosynas faciunt... & reges ipsi declarant quàm venerabiles illos dies habeant, mandantes ut omnibus sint induciæ & feriæ... claudendo fores judiciorum, & auferendo omnes litium & contentionum species... habitantes in carceribus à vinculis solvunt" &c.

Itaque voluit hoc Canone Synodus, ut dies hujus hebdomadæ magna ob salutiferæ passionis mysterium in eâ peractum, in jejunio & oratione & cordis compunctione peragerent fideles. Notat hîc Zonaras, monuisse Patres, peragendos esse hos dies *CORDIS compunctione*, ut significarent "compunctionem non fore simulatam, externam tantum specie apparentem, sed quæ ipsius quoque cordis penetralia contingat."

Inter dies salutiferæ Passionis, quibus specialiter jejunandum & orandum est, exprimitur *Sabbatum magnum*, sive *Sabbatum sanctum*, quamvis apud Græcos receptum esset auctoritate Canonum, vulgò Apostolorum, in Sabbato non esse jejunandum. Hoc igitur solum Sabbatum ab hac lege erat exceptum, quo non tantum jejunandum, sed & prolixius quàm aliis diebus jejunii etiam magnæ hebdomadæ, idque usque ad mediam noctem, eo quod usque ad tempus illud Christus in sepulchro jacuisse credatur, & non nisi circâ idem tempus, mulieres ad sepulchrum accessisse.

Hunc esse sensum Canonis agnoscit quoque Balsamon dicens: "Mihi autem videtur esse eximium magni Sabbati jejunium, aliisque Christi Passionis diebus præstantius, quoniam tunc in sepulchro jacebat corpus ejus quod visum erat. Oportet ergo in aliis quoque diebus jejunare cum compunctione, propter Passionem Christi & Dei nostri: multò autem magis magno Sabbato, quando redemptio nostra è mortis vinculis adornabatur: propterea enim, & qui sunt religiosiores, toto Sabbato, & usque ad horam sextam noctis in Ecclesiis assident, & horâ sextâ divinis Sacramentis communicantes, panem & aquam gustant fortasse autem & modicum vini. Septimâ autem horâ Matutinas Psalmos audientes, quando etiam illud Christus resurrexit dicitur, domum suam revertuntur, magni Dominici sacrorum celebrationem expectantes."

Hæc ille, qui insuper testatur eam suo tempore fuisse piorum hominum hoc Sabbatum celebrandi consuetudinem. "Propterea enim, ait, & qui sunt religiosiores, &c."

CANON XC.

Dominicis genu non flectere, à divinis nostris Patribus, Christi Resurrectionem honorantibus, canonicè accepimus. Ne ergo hujus observationis evidentiam ignoremus, fidelibus manifestum facimus, quòd post Vespertinum Sacerdotum ad altare Sabbato ingressum, ex consuetudine qua servatur, nemo genu flectat, usque ad sequentem Vesperam in die Dominico; in qua post ingressum in complectorio, genua rursus flectentes, Domino preces sic offerimus. Salvatoris enim nostri Resurrectionis Præcursorem noctem, qua fuit post Sabbatum accipientes, Hymnos ab ea spiritaliter incipimus, festum ex tenebris in lucem finientes; ut in perfecto & integro die ac nocte nos Resurrectionem celebrenus.

SCHOLIION.

Diebus **S**YNODUS dicens in præsentì Canone à divinis **Domini-** suis Patribus Resurrectionem Christi honorantibus, accepisse, **cis à pri-** Dominicis diebus genu non flectere, alludit hic indubiè ad Canonem 20. Nicænum, quo statuitur, ut die Dominico, & ipsis diebus Pentecostes, fideles stantes Deo orationes effundant. Item ad Canonem 15. Petri Alexandrini, qui dicit: diem enim Dominicum Latitiam diem agimus, quòd in eo resurrexerit, in quo nec genua quidem flectere accepimus.

Hunc ritum die Dominico servandum esse, præsentì Canone decernitur; & ut exactius hic ritus servetur, unà manifestum facit, diem Dominicum incipere post Vespertinum Sacerdotum ad altare Sabbato ingressum, usque ad sequentem Vesperam in die Dominico.

Hæc diei determinatio, respondet consuetudini, quæ à multis seculis, etiam in Ecclesiâ Latinâ religiosè servata fuit. Imò festos & cunctos generaliter dies, à Vesperâ in Vesperam computare, traditio creditur Apostolica, ab Hæbreis accepta. Sub finem seculi VIII. Synodus Francofordiensis Can. 21. ait, ut dies Dominica in Vespera usque ad Vesperam servetur. Quod & recentioribus quoque decretis non semel innovatum fuit. Quin & illius disciplinæ evidens etiamnum superest vestigium, cum nimirum dierum Festorum Officium à Vespera præcedentis diei inchoatur. Officium enim quod Vesperarum dicimus ex prima Ecclesiæ institutione ad tenebras sive Vesperam demùm inchoandum esset. Hinc olim Officium Vesperarum dictum fuit *Lucernarium*; quia lucernæ in Ecclesiâ accendebantur. Vide Durantum de Rit. Eccl. tom. 1. l. 3. cap. 11. & plures citatos apud de Fresne in Glossario verbo *Lucernarium*.

Hinc & juxta modernas regulas ritûs Romani genua non flectuntur à primis Vesperis diei Dominicæ, quæ die Sabbato cantantur, eò quòd dies Dominica inchoata censeatur; qui ritus vestigium est istius pristinæ disciplinæ, & consuetudinis.

CANON XCI.

Eas que dant abortionem scientia medicamentis, & que fœtus necantia venena accipiunt, homicida pœnis subjicimus.



SCHOLIION.

GRAVITATEM hujus criminis Patres uno consensu, exhorruerunt; ac pœnis Canonicis subjecerunt; uti videre est in Scholiõ ad Canonem 21. Ancyranum, quibus addi potest Canon 2. epistolæ Canonicæ S. Basilii, quo decernitur: “ ut ea quæ de industriâ fœtum corrumpit, cædis pœnas luat: formati autem, ait, vel informis subtilitas à nobis non attenditur. “

Hoc autem dictum est propter eos, inquit Balsamon, in commentario ad hunc Basilii Canonem, qui dicunt, quòd quoniam semen in matricem dejectum, non statim formatur in hominem, sed priùs quidem fit sanguis, deindè in carnem humanam concrevit, & formatur in membra & partes: non fit cædes, quando abortio facta fuerit fœtus, qui nondum est formatus. “

Quidquid ergo sit de tempore, quo fit animatio fœtus, de quo multùm inter se disputant medici, illud constat, omnem abortionem fœtus sive animati, sive inanimati, pro homicidio à Patribus reputari, & homicidii pœnis subjici.

Mulierem hujus criminis ream, post decem annorum pœnitentiam admittendam censet S. Basilii; unà tamen addens, *definiendam non tempore, sed modo pœnitentiæ, medicinam.* “ Scilicet, si quæ peccavit quidem, pœnitentiam aspernari videatur, non solum decennium finietur, sed etiam augebitur, sed si seriò agat pœnitentiam, decennium quoque minuetur, ait Balsamon.

Præsentì Canon homicidæ pœnæ subjicit eas, quæ dant *medicamenta abortionem scientia*, seu provocantia, aut ea accipiunt etiam si fœtum non peremerint; ut observat Balsamon, ad citatum Canonem S. Basilii.

Auctoritate præsentis Canonis, sub nomine sextæ Synodi usus est Sixtus V. in Const. adversus procurantes abortus; *non immeritò*, ait, *in sexta Synodo Constantinopolitano sancitum ut persona, qua dant abortionem scientia medicamenta, & que fœtus necantia venena accipiunt homicida pœnis subjiciantur.* Const. 87. in Bull. Rom.

CANON XCII.

Eos qui nomine matrimonii mulieres rapiunt, quique operâ opeque suâ raptores adjuvant, statuit sancta Synodus, si sint quidem Clerici, proprio gradu excidere: si vero Laici, anathemate percuti.

SCHOLIION.

HOC Canone simpliciter innovatur & confirmatur Canon 27. Calchedonensis, cujus Scholion consule.

CANON XCIII.

Uxor viri qui secessit & non apparet, antequam de ejus morte certior facta sit, alteri cohabitans adulteratur. Similiter & militum uxores, que non apparentibus maritis nupserunt, in eandem rationem incidunt; quemadmodum & que propter mariti peregrinationem, reditum non expectant. Sed res hic quidem aliquam veniam habet, quod sit major ejus mortis suspicio. Ea autem, que illi qui ad tempus erat ab uxore relictus, nupsit per ignorantiam, deinde

Contra
procuran-
tes abor-
tum.

Diebus
Domini-
cis à pri-
mis Vef-
peris non
genu fle-
ctendum.

Contra
raptores,
eorumq;
adjetores.

deinde dimissa est quòd prior ad ipsum redierit, est quidem fornicata, sed per ignorantiam: à matrimonio ergo non arcebitur: rectius autem, si sic manserit. Sin autem miles aliquanto post tempore redierit, cujus uxor propter longam illius absentiam alteri viro conjuncta est; is si velit, propriam uxorem recipiat, ipsi venià propter ignorantiam datà, eique illam in secundis nuptiis domum duxit.

SCHOLIION.

Uxor de Mariti absentis morte incerta, alterine nubat.

HOc Canone agitur de mulieribus quarum viri vel peregrinationes, vel militiæ causâ absentes fuerunt, & de quibus incertum est an vivant.

De his mulieribus quæsitum fuit jampridem, utrum ad alias nuptias convolare queant, ob absentiam maritorum? Extat Constitutio Constantini M. in *L. 7. Cod. de Repudiis* quâ declarat, quòd uxor, quæ, in militiam profecto marito, post interventum *quatuor annorum*, nullum sospitatis ejus potuit habere indicium, atque ideò de nuptiis aliis cogitavit, nec tamen ante nupsit, quàm libello dactem super hoc suo voto convenit, non videatur nuptias iniisse furtivas; nec dotis amissionem sustinere, nec capitali pænæ esse obnoxia, quæ post tam magni temporis jugitatem, non temerè nec clanculò, sed publicè contestatione depositâ nupsisse firmatur.

Hujus Constitutionis meminit Justinianus in *Novellâ 22. cap. 14.* dicitque sibi videri tempus à Constantino præstitutum esse minùs breve: "Actibus enim bellicis occupato marito, ait, uxoris privationem inferre non minor est pænâ, quàm ab hostibus capi." Igitur *decennii* tempus constituit, quo mulier maritum militiæ causâ absentem expectare jubetur; priusquam, juxta normam à Constantino præstitutam, alias nuptias inire queat.

Justiniani. **Q**uin & postmodum Justinianus, in *Novellâ 117. cap. 11.* "jubemus, inquit, quoscunque annos, in expeditione manserint (mariti) sustinere eorum uxores, licet nec litteras, nec responsum aliquod à suis maritis susceperint."

Itaque juxta hanc Constitutionem Justiniani absentia mariti in expeditione militari existentis, quantumvis diuturna, etiam plusquam *decem* annorum, non est sufficiens, ut uxor quæ aliundè de morte mariti nuntium non accepit, ad alias nuptias transire queat: atque eatenus priorem suam *Novellam* correxit.

Dein pergit hìc Justinianus, "Si qua verò ex hujusmodi mulieribus, suum maritum audierit esse mortuum, neque tunc ad alias eam venire nuptias sinimus, nisi prius accesserit mulier, aut per se, aut per suos parentes, aut per aliam quamcunque personam, ad priores numeri Chartularios, in quo hujusmodi maritus militabat: & eos seu Tribunum, si tamen adest, interrogaverit, si pro veritate mortuus est ejus conjux: ut illi sacris Evangeliiis propositis sub gestis monumentorum deponant, si pro veritate vir mortuus & postquam hæc gesta monumentorum confecta, mulier pro suo testimonio perceperit, etiam post hoc jubemus manere eam per unius anni spatium, ut etiam post hunc decursum, liceat legitimas contrahere nuptias."

Sanè ubi hæc à Justiniano præscripta forma fuerit observata, videtur quædam moralis de morte mariti certitudo haberi.

Van Espen Oper. Posth. Pars II.

At illud notandum, hanc Justiniani Constitutionem, uti & priorem de *decennii* termino, tantum spectare maritos, qui ob militiam absentes, sunt: nam circa eos qui captivatis causâ sunt absentes, extat ejusdem Imperatoris declaratio, in citatâ *Novellâ 22. cap. 7.* his verbis. "Si verò incertum sit utrum superest, an non, quæ ad hostes persona devenit: tunc *quinquennium* expectandum est, sive à viro, sive à muliere; post quod, sive manifestum fiat, de morte, sive incertum maneat, nubere licebit sine periculo."

Evidens est Justinianum, hìc non requirere, certitudinem de morte illius qui in captivitate ab hoste detinetur, ut pars illa, quæ in libertate posita est, sine periculo nubere queat, sed ei sufficere, quòd *quinquennium* expectaverit, licet incertum maneat, an in captivitate mortuus sit.

Hujus Constitutionis meminit Leo Imperator, in *Novellâ 33.* eamque improbens, vult ut non minor in casu captivitatis, quàm militiæ, de morte absentis certitudo habeatur, priusquam ad alias nuptias procedere pars altera possit.

Constitutio Leonis Imperatoris.

Hæc Leonis sapientis reformatio indissolubilitati matrimonii (cujus vinculum nulla etiam diuturna absentia, sed sola mors naturalis alterius conjugis dissolvit) omninò conformis est; eamque præsens Canon, ex Canonibus S. Basilii conflatus, confirmat.

Primò enim generaliter declarat, quòd *uxor viri, qui secessit, & non apparet, antequam de ejus morte certior facta sit; alteri cohabitans adulteretur.* Est Canon 31. S. Basilii in Epist. can. ad *Amphilochium.* Quem Canonem Aristenus ita in compendio exhibet: *Quæ priusquam certior facta sit virum suum mortem obiisse, alii nupsit, mæchatur.*

Post hæc subjungitur ex can. 36. ejusdem S. Doctoris, quòd *similiter & militum uxores, quæ non apparentibus maritis, nupsunt, in eandem rationem incidant, quemadmodum & quæ, propter mariti peregrinationem, reditum non expectant, sive ut habet S. Basilii, reditum non expectato nupsunt: si nimirum antè reditum de morte certiores factæ non sint.*

Igitur Synodus conformiter ad S. Basilium censet, ob absentiam conjugis ad alias nuptias non esse profiliendum alteri conjugi, priusquam de morte absentis certitudo habeatur, idque tam in absentia militiæ causâ, quàm in aliâ quâcunque pari ratione servandum: nisi quòd, si uxor militis absentis alteri nupsit, aliquam veniam habeat, uti loquitur Canon Trullanus, vel juxta Basilium *res nonnullam veniam admittat, ratione additâ, quòd major sit ejus mortis suspicio; utpote qui inter bella, cædes ac pericula vitam agit, quemadmodum notat Zonaras ad citatum can. 36. Basilii, vel uti ibid. Observat Aristenus; "præsens canon Militum uxores aliquâ indulgentiâ dignatur, si ad secundas nuptias venerint, viris non apparentibus; quoniam isti potiùs propè mortem sunt, & eorum absentia magnam dat suspicionem, quòd vel mortui sint vel interfecti." Venia porrò illa fuerit (inquit ibid. Zonaras) ut de tempore pænæ persolvendæ constituto aliquid ipsis detrahatur."*

Prosequitur Synodus, atque ex *Can. 46. S. Basilii* declarat, quòd si aliqua illi qui ad tempus erat ab uxore relictus, nupsit per ignorantiam; putà si maritus hic esset peregrinus, & huic mulieri planè ignota esset hæc ejus uxoris ad tempus secessio, *deinde dimissa sit, quòd prior*

uxor ad ipsum redierit: vel uti habet Basilius ut prior ad ipsum redeat: id est postquam ipsi mulieri, quæ per ignorantiam huic viro, cujus uxor adhuc vivit, conjuncta erat, innotuit priorem uxorem supervivere, dimissa sive separata est à viro, ut prior quæ vera uxor ejus mansit, ad ipsum redeat. Hæc, inquam, mulier dimissa, est quidem fornicata (ut ait Canon) sed per ignorantiam.

Hinc ulterius concludit Canon: à matrimonio ergo non arcebitur, scilicet quæ per ignorantiam sic fornicata est; rectius (seu Gr. melius) autem, si sic manserit, hoc est innupta. Licet enim ob viventem priorem uxorem, verum matrimonium non fuerit, nec consequenter fuerit hic verus istius mulieris vir, tamen quia creditus fuit legitimus ejus maritus, honestum non fuerit eo adhuc superstiti, illam cum altero vitam agere. "In nuptiis siquidem (ait Zonaras) lex quoque civilis testatur, quod nos non tam quod permissum sit, quam quod honestati conveniat, consideramus."

Denique declarat Synodus in præsentī Can. quod si uxor militis propter longam ipsius absentiam, quæ moralem mortis ipsius certitudinem fecerit, alteri viro conjuncta sit, & tamen postmodum reperiat vir adhuc vivere, isque redierit, poterit hic non obstante longâ suâ absentia, & bonâ fide uxoris, quæ ad alias nuptias transierat, suam uxorem recipere; eò quod nec hæc absentia matrimonium dissolvere potuerit, aut secundum matrimonium validum facere. Propter bonam tamen fidem de morte mariti absentis, tam uxori, quam secundo marito venia datur.

His conformiter responderat S. Leo interpellatus à Niceta Episcopo Epist. 129. Edit. Quenell. de fæminis, quæ occasione captivitatis virorum aliis nupserant. Extat responsum Leonis apud Grat. caus. 34. q. 2. c. 1.

Pontifices posteriores in suis Decretalibus conformiter ad hunc Canonem respondisse videri potest ex iis quæ dixi in jure Eccl. tom. 1. p. 2. sect. 1. tit. 15. cap. 3. n. 6.

CANON XCIV.

Eos qui Gentilium Sacramenta jurant, Canon pœnis subjicit, & nos iis quoque segregationem decernimus.

SCHOLIION.

Contra jurantes per falsos Deos.

CANON, cujus hîc fit mentio, est Canon 81. S. Basilii, pœnis subjiciens eos, qui vel voluntarii, vel vi adacti Gentilium sacramenta jurant. "Qui enim, ait, gravem necessitatem ex tormentis sustinuerunt, & non ferentes labores, ad negationem tracti sunt, tribus annis sint non recipiendi, & in duobus audiant, & cum tribus annis substrati fuerint, sic ad communionem admittantur. Qui autem sine magnâ necessitate fidem in Deum prodiderunt, & dæmoniorum mensam attigerunt, & Græca sacramenta jurant, tribus quidem annis ejiciantur, duobus audiant, postquam autem in substratione tribus annis oraverint, & in aliis tribus cum fidelibus ad orationem constiterint, sic admittantur ad boni communionem."

His pœnis subjectos declarat præsens canon eos qui sacramenta Gentilium jurant, ac insuper iis segregationem decernit eatenus pœnam augens.

Sunt autem sacramenta Gentilium, quæ jurantur à Gentilibus; Porro varia erant apud Gentes

juramenta, uti videre est, apud Alexandrum ab Alexandro, dierum genialium, lib. 5. cap. 10. cujus hic est titulus. Quam varium & multiplex jusjurandum apud diversas Gentes fuerit, & per quos Deos jurare consueverint.

Gentes autem sive per idola, seu per res alias jurantes quandam divinitatis speciem, in rebus per quas jurabant, testabantur. Quare Christiani eadem juramenta præstantes, suo facto eis rebus divinitatem aliquam inesse profiteri videbantur; quod speciem idololatriæ præ se ferebat.

Hinc Tertullianus de idololatriâ cap. 20. monet esse in verbis quoque idololatriæ incursum præcavendum, aut de consuetudinis vitio, aut timiditatis. Dein subjungit, consuetudinis vitium est, me Hercule dicere; medius fidius, accedente ignorantia quorundam, qui ignorant jusjurandum esse per Herculem. Porro quid erit de juratio per eos quos ejurasti, quam prævaricatio fidei cum idololatriâ: quis enim per quos dejerat, non honorat."

Itaque hîc evidenter supponit Tertullianus, jurare per falsos deos more Gentilium, continere quandam idololatriam, quod & supposuit S. Basilius in allegato Canone, conferens hujusmodi jurantes cum iis qui Christum prodiderunt, & dæmoniorum mensam attigerunt. (a)

Uterius hinc manifestum est, nec in præsentī canone, neque in canone S. Basilii reflecti, an verum, an falsum juratum sit, sed duntaxat, an juratum fuerit per falsos deos, more Gentilium; quamvis & illud indubitatum sit, jurare falsum per falsos deos, duplicem malitiam continere, nimirum sacrilegii, sive idololatriæ, & perjurii, uti docet S. Augustinus epistolâ 47. ad Publicolam, ubi & addit: quod "sine ulla dubitatione minus malum est, per falsum deum jurare veraciter, quam per verum fallaciter: quanto enim per quod juratur est magis sanctum, tanto magis & pœnale perjurium."

Si ergo Canones iis pœnis subjiciant jurantem per falsos deos, etiam veraciter; expendant confessarii, quam sit à mente Patrum alienum leviusculas pœnitentias injungere falsum jurantibus per verum Deum.

Monet idem S. Doctor, sermone 28. cap. 12. de verbis Apostoli; quod suo tempore multi putarent, quia idolum per quod jurant nihil est; non se erimine teneri perjurii, si per falsos deos fallaciter jurent. Respondet autem Augustinus, prorsus perjurus es, quia per illud, quod sanctum putas, falsum juras.

Replicabit forsan jurans: sed ego illud sanctum non puto. Reponit rursus Augustinus; non enim quando juras, tibi juras, aut lapidi juras, sed proximo juras; homini juras ante lapidem: sed numquid non ante Deum? Non te audit lapis loquentem, sed punit te Deus fallentem. Extat apud Gratianum, caus. 22. q. 5. Can. 10.

Hîc per transennam observet lector, ab Augustino jam pridem fuisse probatum, quod sub nomine Isidori refertur ibidem Can. 9. à Gratiano, &

[a] Observant Canonistæ licitum esse juramentum ab infideli exigere, quem novimus juraturam per falsos Deos; in suæ sententiæ Patronum adducunt Sanctum Augustinum Epist. ad Publicolam: En Sancti Doctoris verba. "Qui utitur fide illius quem constat jurasse per Deos falsos, & utitur non ad malum, sed ad licitum, & ad bonum, non peccato ejus se sociat, quo per Dæmonia juravit, sed bono pacto ejus, quo fidem servavit."

quo illa omnis fidei & totius societatis humanæ planè everfia, artificiosa mentalis restrictio subvertitur: quacunque arte verborum quisque juret, „Deus tamen, qui conscientiaë testis est, ita hoc „accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit.“

C A N O N X C V.

Eos qui ex hæreticis ad rectam fidem accedunt, & parti eorum qui salvantur, subjecta consequentia & consuetudine recipientes, Arianos quidem & Macedonianos, & Novatianos, qui se puros appellant, & Aristeros, & Tessareskaidecatitas seu Terraditas, & Apollinaristas recipimus dantes libellos, & omnem hæresim anathematizantes, quæ non sentit ut sentit sancta Dei universalis & Apostolica Ecclesia; sancto primum Chrismate inungentes & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures; consignantes autem dicimus: Signaculum doni Spiritus sancti. De Paulianis autem à Catholica Ecclesia statutum est, ut ii omnino rebaptizentur. Eunomianos quoque, qui in unam demersionem baptizant, & Montanistas, qui hic dicuntur Phryges, & Sabellianos, qui Filium eundem esse cum Patre existimant, & alia quedam gravia faciunt, & omnes alias hæreses, quoniam multi hic sunt, & maximè qui ex Galatarum regione profecti sunt, omnes ex iis qui ad rectam de fide sententiam volunt accedere, ut Gentiles recipimus. Et primo quidem die eos Christianos facimus, secundo autem Catechumenos: deinde tertio adjuramus, simul etiam ter in faciem & aures inspirantes; & sic initiamus, & diu in Ecclesia versari & scripturas audire facimus; & tunc ipsos baptizamus. Quin etiam Manichæos, & Valentianos, & Marcionistas, & similes hæreticos oportet libellos facere, & hæresim suam anathematizare, & Nestorium, & Eutichen, & Dioscorum, & Severum, & reliquos talium hæreseon principes, & qui eadem quæ illi sentiunt, & omnes prædictas hæreses: & sic fieri sanctæ communionis participes.

S C H O L I O N.

Hic Canon, exceptâ finali periodo, exhibetur verbis sub nomine Canonis VII. Synodi Constantinopolitanæ I. apud Balsamonem, Zonarâ, Photium, aliosque Græcos. Uti in Scholio ad Canonem VII. hujus Synodi Constantinopolitanæ notavimus; ubi unâ ostensum est, admodum verisimile esse, hunc Canonem dictæ Synodo falsò adscribi, nec à Latinis canonum collectoribus, inter canones hujus Synodi Constantinopolitanæ fuisse recensitum; imò nec apud Græcos, ante hanc Synodum in Trullo canonibus annumeratum; quapropter, nec in præsentî Canone, ulla fit canonis antiquioris mentio, uti contingere solet, ubi antiqui canonis confirmatio vel innovatio contingit. Plura in hanc rem videri possunt in citato Scholio ad hunc canonem.

Interim hoc canone præscribitur ritus in recipiendis ad Ecclesiam hæreticis observandus, cujus triplex forma hic exhibetur. (a)

[a] Nonnulli tamen ut Sirmundus in *Antirratico* secundo cap. 5. attendentes ad omnia, quæ in receptione hæreticorum leguntur, contenderunt hæreticos per Confirmationem recipi; sed hanc opinionem eruditè confutarunt Petrus Aurelius & Sambovius, quos consuluisse non pigebit.

Primò, nonnullos recipiendos censet, Arianos nimirum & Macedonianos, & alios qui sequuntur, *modò dent libellos*, hoc est, ait Zonarâ, „scriptos à se codicillos, quibus opiniones suas, „damnent, & errorem suum infamiâ notent. „*Dein omnem hæresim anathematizent, quæ non sentit, ut sentit sancta Dei universalis & Apostolica Ecclesia.*

Hæc factâ abjuracione & professione, recipiendos censet illos Synodus, non iterantes eorum Baptismum, sed sancto primum Chrismate inungentes, & frontem, & oculos, & nares, & os & aures; consignantes autem dicimus: **SIGNACULUM DONI SPIRITUS S ANCTI.**

Hujus ritus suscipiendi hæreticos ab hæresi ad Ecclesiam venientes, meminit quoque Synodus Laodicæna *Can. 7.* uti ibidem notatum est.

Similiter & meminit S. Basilius *Can. 1.* epistolæ suæ Canonicæ ad Amphilochem, ubi scribit: ab antiquis fuisse dubitatum an generaliter Baptismus ab hæreticis collatus, & in hæresi susceptus, non esset iterandus, dum ad Ecclesiam accedunt; videturque ipse Basilius, SS. Cypriano & Firmiliano contendentibus Baptismum iterandum admodum favere; nihilominus tamen sententiæ Stephani Papæ, sentientis Baptismum hæreticorum in nomine SS. Trinitatis baptizantium non iterandum acquiescit. Dicit enim: „sed quoniam „nonnullis Asiaticis omnino visum est propter „multorum œconomiam & dispensationem eorum Baptisma suscipi, suscipiatur.“

Verùm si probatus fuerit hujusmodi hæreticorum Baptismus, jubet omninò ut ii, qui cum hoc Baptismo suscipiendi sunt, ungantur, antequam mysteriorum participes fiant: „omni autem ratione, ait, statuatur, ut qui ex illorum Baptismo „accedunt, ungantur à fidelibus, & sic ad mysteria accedant.“

Basilius hic loqui de iis qui in ipsâ hæresi ab hæreticis fuerant baptizati, manifestum est, atque de his solis præsentem canonem agere, verisimilius est.

Qui enim credebant validum Baptismum ab hæreticis in nomine SS. Trinitatis collatum, vim tamen & gratiam, quâ caruit, Unctionis Sacramento suscitandum putabant. Interrogatus enim Justinus Martyr, aut alius, sed antiquus auctor, in responsionibus ad orthodoxos, *quest. 14.* Quare ab hæreticis baptizatus, cum ad Ecclesiam accedit, alio Baptismo non imbuitur? Respondit: „hæretici ad orthodoxiam transeuntis lapsus corripitur, pravæ quidem opinionis mutatione, *Baptismi* autem unguenti sancti Unctione.“

Et hæc quidem in receptione hæreticorum, quorum Baptismus validum existimabant, servanda existimavit Synodus; at circâ Paulianos aliosque in secunda classe enumeratos hæreticos, quorum Baptismus non admittendum credebant, statuit eos esse rebaptizandos, & ut Gentiles esse recipiendos.

Ritus hosce recipiendi subjicit in hæc verba: „*Et primo quidem die, eos Christianos facimus; secundo autem Catechumenos, deinde tertio adjuramus, simul etiam ter in faciem & aures inspirantes, & sic initiamus, & diu in Ecclesia versari, & scripturas audire facimus, & tunc ipsos baptizamus.*

Hic videmus hujusmodi hæreticos in hæresi baptizatos, tractari ac si baptizati non fuissent, & ex ipso Gentilismo ad Christianismum primum conversi essent.

Exorcis-
miantē
Baptismū.

Hic notari potest, etiam ab Ecclesiā Orienta-
li, eo tempore ritus adjurandi & insufflandi in ad-
ministracione Baptismi fuisse usitatos.

Insuper notare poterunt Sacerdotes, adultos ad
Ecclesiam accedentes, non nisi præviā inquisitio-
ne, & sedulā instructione ad Baptismum recipien-
dos esse, uti suprà ad canonem 8. Laodicænum
monui, & latius in *jure Eccles. tom. 1. parte 2.
sect. 1. tit. 2. cap. 4.*

Manichæi
Valenti-
niani, &
Marcioni-
tæ abjura-
tā hæresi
recipian-
tur.

Duos hosce ritus suscipiendi ab hæresi ad Ec-
clesiam venientes, exprimit quoque supra-dictus
canon vulgò constantinopolitanus, & ut hujus
Synodi à Græcis relatus, uti in Scholio notavi,
quibus tertium hæc Synodus adjungit, recipien-
di nimirum Manichæos & Valentinianos, & Mar-
cionistas, & similes hæreticos, per solam hære-
seon abjuracionem.

Varius ri-
tus reci-
piendi hæ-
reticos in
Eccl. Lati-
na ex S.
Gregorio

Duplicem ritum recipiendi redeuntes ad Ecclē-
siam, qui apud hæreticos in nomine SS. Trinita-
tis ritè Baptizati sunt, exposuerat ante habitam
hanc Synodum S. Gregorius *cap. 9. epist. 61. ad
Quirinum Episcopum*, qui à Gregorio quæsi-
vit: "cum ad matrem Electorum omnium ca-
tholicam Ecclesiam revertuntur" utrum debeant
Baptizari, an certè solius veræ fidei confessione,
ejusdem matris Ecclesiæ visceribus adjungi? res-
pondet S. Gregorius. Et quidem ab antiquâ
Patrum institutione didicimus, ut qui apud hæ-
reticos in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad
sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctiōne Chris-
matis, aut impositione manûs, aut solâ professione
fidei, ad sinum matris Ecclesiæ revocentur.

Non tantum hic agnoscit Gregorius duplicem
ritum recipiendi hæreticos per unctiōnem Chris-
matis, & solam fidei professionem, sed & utrum-
que ab antiquâ Patrum institutione descendere as-
serit. Tertius autem ritus à Gregorio additus, sci-
licet impositionis manûs, non ad Orientalem, sed
Occidentalem Ecclesiam pertinet, quam pro un-
ctiōne, impositione manûs uti asserit idem Grego-
rius dicens, "Unde Arianos per impositionem ma-
nus, Occidens; per unctiōnem verò sancti Chris-
matis, ad ingressum sanctæ Ecclesiæ Catholicæ
Oriens reformat."

Deinde adjungit: "Monophysitas verò, & alios
ex solâ verâ confessione recipit: quia sanctum
Baptisma, quod sunt apud hæreticos consecuti,
nunc in eis vires emundationis recipit, cum vel
ipsi per impositionem manûs, Spiritum san-
ctum acceperint, vel isti, propter professionem
veræ fidei, sanctæ & universalis Ecclesiæ visce-
ribus fuerint uniti."

Itaque, teste S. Gregorio, hæretici in hæresi in
nomine Trinitatis baptizati, alii unctiōne, in
Orientali; vel impositione manûs, in Occiden-
tali Ecclesiâ; alii in utraque Ecclesia solâ profes-
sione fidei, quemadmodum in hoc canone statui-
tur, recipiebantur.

Insuper indicat S. Gregorius, quod supra no-
tarum est, Baptismum apud hæreticos susceptum,
vires emundationis recipere, per hanc manûs im-
positionem, sacram unctiōnem, vel fidei profes-
sionem.

Et Ru-
perro.

Undè postmodum tradidere Theologi, quòd
baptizati in nomine Trinitatis ab hæreticis, non
quidem sint rebaptizandi, sed per impositionem
manuum eis dandum Spiritum sanctum, uti ex-
pressit Rupertus Abbas *de divinis Officiis. lib. 10.
cap. 25.* ubi de similibus hæreticis ad Ecclesiam ac-
cedentibus; ait. "Quapropter cum baptizari à ta-
libus ad Catholicam revertuntur Ecclesiam, non
quidem repetitur in illis lavacrum carnis, siqui-

dem baptizati sunt, in nomine Patris, & Filii,
& Spiritus sancti; multæ quippe hæreses sic
baptizant; sed per impositionem manuum ac-
cipiunt Spiritum sanctum, quem foris accipere
non poterant."

Porro notandum, quòd assertum S. Gregorii,
de differentia Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ,
in recipiendis hæreticis per unctiōnem, vel im-
positionem manûs, non possit generaliter de omni-
bus Ecclesiis Occidentis intelligi: quia constat
plures Ecclesias, puta Gallicanam, & Hispani-
cam, etiam unctiōne usas fuisse, uti notatur ad ci-
tatam epistolam Gregorii, notâ 4. & latius osten-
dit Morinus, *lib. 9. de ministr. Pœnit. cap.
10.* ubi per plura capita de ritu recipiendi hæreti-
cos olim usitato tractat. (a)

CANON XCVI.

Qui Christum per Baptismum induerunt, ejus in
carne vita agenda rationem imitari professi
sunt. Eos ergo, qui capillos ad videntium detri-
mentum, scite excogitatis nexibus adornant
& componunt, & infirmis animis escam eâ ra-
tione objiciunt, convenienti supplicio paternè
curamus; ipsos instituentes & temperanter vi-
vere docentes, ut relictâ fraude & vanitate,
que ex materia oritur, ad exitio carentem bea-
tamque vitam, mentem assidue traducant; &
in timore puram & sanctam conversationem
habeant, & Deo, quoad ejus fieri potest, ap-
propinquent per vita puritatem; & internum
magis quàm externum hominem virtutibus &
bonis inculpatisque moribus exornent; ut nullas
in se ferant reliquias diabolice perversitatis. Si
quis autem præter hunc Canonem versatus fue-
rit, excommunicetur.

SCHOLIUM.

MONITUM omni Christiano sapius recogitan-
dum & cordi altè imprimendum hic canon
proponit initialibus verbis, quòd qui Christum
per Baptismum induerunt, ejus in carne vita agen-
di rationem imitari professi sint.

Ex quo sanctissimo atque indubitato Christia-
næ Religionis principio concludit Synodus, ut in
externo ornatu Christianorū nihil nisi modestum
& sanctum appareat, & internum magis, quàm
externum hominem virtutibus, & bonis inculpa-
tis moribus exornent, ut nullas in se ferant re-
liquias diabolice fraudis, (seu Gr. perversitatis
usque adeò repugnantis.)

His reliquiis diabolice fraudis, sive perversita-
tis accenset Synodus capillorum exquisitum or-
natum. Eos, ait, qui capillos ad videntium detri-
mentum, scite excogitatis nexibus, adornant &
componunt, & infirmis animis escam eâ ratione
objiciunt, convenienti supplicio paternè curamus
ipsos instituentes, & temperanter vivere docentes,
ut relictâ fraude & vanitate, que ex materia ori-
tur, ad exitio carentem beatamque vitam, men-
tem assidue traducant, & in timore puram & san-
ctam conversationem habeant, & Deo quoad ejus
fieri potest, appropinquent per vita puritatem.

Hæc

[a] Observandum est, quòd saltem in Occidente ea
fuerit Ecclesiarum consuetudo, ut hæretici ab Episcopis
solis extra casum necessitatis recipientur. Ita Conc.
Araus. I. Can. 10.

Vita Bap-
tizatorum

Contra
capillo-
rum arti-
ficium
ornatum.

Hæc notanda monet Balsamon propter eos qui Capillos neunt, vel implicant, vel tingunt, vel cum aquâ madefaciunt vel aliquo alio modo Capillos suos pleniores, elegantioresque faciunt, vel iis alienos connectunt.

Deplorat quoque Zonaras, circa hunc ornatum suâ ætate fuisse summum abusum, additque, quod omnia comæ nutriendæ aut augendæ medicamenta, studiosè nimis, atque accuratè conquirerent; jungunt sibi, inquit, exindè crines calamistro, quo crispi fiant, intorquentes; tingunt quoque ut flavescant, & auri speciem referant; alii aquâ madefactos in sole explicant, ejusque radiis torreri patiuntur, ut ater indè Capillorum color immutetur.

Summus viguit & apud nos ab annis aliquot in curandis ornandisque Capillis abusus & vanitas abominanda: at modo omnis penè in Capillis propriis nutriendis & curandis cura evanuit; successitque alius, quem & Zonaras commemorat dicens: "sunt etiam, qui mentitam Cæsariem nativo & ingenito crine abrafo, induunt."

Quam hic abusus hodie sit communis & excessivus, non tantùm in Laicis, sed & in Ecclesiasticis, qui ipsâ tonsuræ susceptione huic vano ornatui Capillorum specialiter solemni professione renuntiarunt, quique non ob necessitatem, aut defectum proprii ac nativi Capillitii, sed ad fastum & vanitatem, mentitam Cæsariem multâ arte compositam, & concinnis variis implicatam assumunt cuilibet notorium est. Utinam attenda haberetur ab his hujus canonis meditatio, considerarentque, quam parum conveniat hic ornatus illis qui in Baptismo Christum induerunt, ejusque in carne vitæ agendæ rationem imitari professi sunt. Insuper quod hoc vanitatis ornamento imbecilliores in fide animos, quique propterea ad intemperantiam facilius elabuntur, velut quadam escâ deceptos in fraudem alliciunt; sive *infirmis animis escam eâ ratione objiciant.*

C A N O N XCVII.

Eos qui vel cum uxore cohabitant, vel alioqui indiscriminatim sacra loca communia faciunt: & contemptim in eis afficiuntur, & sic in eis permanent; etiam ex iis, quæ sunt in venerabilibus Templis, Catechumenorum mansionibus extrudi jubemus. Si quis autem hæc non servaverit, si sit quidem Clericus, deponatur: si verò Laicus, segregetur.

S C H O L I O N.

In locis sacris vir cum uxore non cohabit.

Loca sacra hæc dicuntur, ait Balsamon, quæ sunt Deo dedicata, ædes scilicet divinæ, & divinarum ædium porticus seu vestibula, & Catechumenia, & quæ circa ea sunt.

Cum autem canon speciatim vetat, ne vir cum uxore, sacra illa loca inhabitet, & tanquam in locis profanis maneat, admodum verisimile est, Patres hoc loco præcipuè spectasse ipsum actum conjugalem, qui indecentiam quandam cum loco sacro habere, in comperto est: aded ut & moris aliquando fuerit, conjugatos, post actum conjugalem antequam abluerentur, ab ingressu Ecclesiæ exclusos fuisse, uti manifestum est ex responso S. Gregorii, ad *questionem* 10. Augustini Angelorum Apostoli.

Quæsitit Augustinus, "an vir suæ conjugis permixtus, antequam lavetur aquâ Ecclesiam intrare possit?" Respondet Gregorius. "Vir cum

propria uxore dormiens, nisi lotus aquâ, Ecclesiam intrare non debet; sed neque lotus, intrare debet. Lex autem veteri populo præcepit, mixtos vir mulieri, & lavari aquâ debeat, & ante solis occasum, Ecclesiam non intrare. Quod spiritualiter intelligi potest, & *spirituali animo servari à Christianis.* Quamvis enim de hac re diversæ hominum nationes, diversa sentiant, atque alii alia custodire videantur, Romanorum tamen semper ab antiquioribus usus fuit, post admixtionem propriæ conjugis, & lavacrum purificationis quærere, & ab ingressu Ecclesiæ paululum abstinere.

Itaque judicatum fuit, actum conjugalem, quandam habere indecentiam cum loco sacro, ut proinde merito hoc canone prohibeatur vir cum uxore iis in locis manere.

Hunc Canonem & nos omninò probamus, ait Lupus hic, additque, quin imò etiam in nostris Cemeteryis nulla possit esse habitatio; nam, ait, per omnem voluntarium etiam **CONJUGALEM** effluxum Ecclesia atque Cemeteryum profanantur.

Cæterùm, quod de præmittendâ lotionem post actum conjugalem ante ingressum Ecclesiæ apud aliquas Gentes obtinuisse scribitur; an unquam apud nos obtinuerit, nescio.

C A N O N XCVIII.

Qui alteri desponsam mulierem, eo adhuc vivo cui desponsa est, in nuptiarum ducit societatem, adulterii crimini subjiciatur.

S C H O L I O N.

Sponsalia, etiam de futuro, quæ promissionem futuri matrimonii continent, esse summæ obligationis, præcipuè si publicè coram Sacerdote, ejusque benedictione interpositâ inita sit, expeditum est: eorum tamen prævaricationem esse plenum adulterium, sive habere omnimodam adulterii malitiam, non creditur.

Unde hoc canone non dicitur, eum qui alteri desponsam mulierem, adhuc vivo cui desponsata est, in nuptiarum ducit societatem, adulterium committere, sed *adulterii crimini subjici*, id est pœnâ adulterii puniri, quæ pœna infligi potuit, licet verum, & strictè dictum non esset adulterium.

Ad hæc non satis liquet, num canon loquatur de sponsâ de futuro, an verò de sponsâ de presenti quæ subindè sponsa dicitur, ad distinctionem uxoris, quæ actum conjugalem consummavit; asseritque Christianus Lupus hic, quod in *Capitulari Aquisgranensi, cap. 51.* Carolus M, pro nuptura, legat, *nupta*, atque ita non de sponsalibus, sed agi existimet de matrimonio rato.

Neque ab hac interpretatione abhorreere videntur Balsamon & Zonaras, qui divam Virginem fuisse sponsam S. Josephi ad mentem canonis asserunt, quæ tamen S. Josepho per sponsalia de presenti juncta fuit.

C A N O N XCIX.

Porro hoc quoque in Armeniorum regione fieri didicimus, quod quidam intus in sacris altaribus carniū membra coquentes frustra offerunt Sacerdotibus Judaicè distribuentes. Quocirca Ecclesiam immaculatam servantem, statuimus nulli licere Sacerdoti separata carniū membra

tempore requisierit in conjugatis, ut Ecclesiam ingrederentur.

Alteri desponsatam ducens, adulterii pœnis subjiciendus.

ab offerentibus accipere; sed iis sint contenti, quæ offerenti visa fuerint, ejusmodi oblatione factâ extra Ecclesiam. Si quis autem hoc non fecerit, segregetur.

SCHOLION.

Contra ritus Judæicos, in altari carnes coquendo & Sacerdotibus offerendo

Sensum Canonis his verbis expressit Balsamon: „Quoniam didicere SS. Patres, quod in Armeniorum Regione per animalia quidem non sunt sacrificia, sed carniū partes intra altare coquuntur, & ex iis frustra quædam, scilicet membra separata, pedes fortè & caput, vel aliud quid ejusmodi Sacerdotibus more Judæorum offerunt, statuerunt nec in altari carniū membra coquere, nec extra ipsum tales separatatas partes Sacerdotibus offerre ex antiqua consuetudine oportere, sed ejusmodi cessare, & Sacerdotes à Laicis oblationem suscipere debere, in quibuscunque rebus & generibus ipsi voluerint.“

Walafridus Strabo seculo IX. scribens „similem errorem notat in Ecclesiâ Latinâ cap. 18.“ „Quorundam simplicium error, de Judaicarum superstitionum seminario natus, & ad nostra usque tempora quædam vetustatis extendens vestigia, jam ex magnâ parte sapientium studio compressus est; & sicubi adhuc perniciosum hujus pestis germen revirescere fuerit comprobatum, mucrone spiritali radicitus est amputandum; illum dico errorem, quo quidam Agni carnes in Pascha, juxtâ vel sub altari eas ponentes, benedictione propriâ consecrabant; & in ipsâ Resurrectionis die, ante cæteros corporales cibos, de ipsis carnibus percipiebant; cujus benedictionis sectes adhuc à multis habetur.“

Usitata quidem fuit, & etiamnum hodie probata ejus formula in *Ordine Romano* servatur Agni Paschalis benedictio; sed ritum hoc Canone expressum Judaismum redolentem, nunquam agnovit Ecclesia: quamvis non diffiteamur, in hunc aliosque Ecclesiasticos ritus nonnullas Judaicas aut Gentiles superstitiones ex Pastorum desidia atque exinde provenienti imperiti vulgi ignorantia irrepere & immisceri: at eas Ecclesiæ adscribere, propria sectariis nostris calumnia est.

CANON C.

Oculi tui recta aspiciant, & omni custodiâ serva cor tuum, jubet sapientia. Corporis enim sensus sua facile in animam effundunt. Picturas ergo quæ oculos præstringunt sive in tabulis, sive quovis alio modo fiant, & mentem corrumpunt, & ad turpium voluptatem movent incendia, nullo modo deinceps exprimi jubemus. Si quis autem hoc facere aggressus fuerit, deponatur.

SCHOLION.

Contra picturas lascivas.

Quam salutare sit hoc præsentis Canonis Decretum frustra ostendero. Hoc unum optandum, ut frequentissimè licet renovatum, executioni mandaretur; atque Episcopi reliquique tum Ecclesiæ, tum Reipublicæ Moderatores in perniciosas has picturas, „quæ, ut rectè notat Balsamon, sensum præstringunt seu fallunt, & in animam infundunt seu immittunt omne malum, turpibusque & inhonestis inceptis, quæque Dei imaginem corrumpunt, causam præbent“ suâ auctoritate animadverterent.

CANON CI.

Corpus Christi & Templum, hominem ad imaginem Dei creatum, divinus magnâ voce appellat Apostolus. Omnem ergo sensibilem creaturam superans, is qui salvari passione cælestem dignitatem est assecutus, Christum bibens vel comedens æternæ vitæ adaptatur, animam & corpus divine gratiæ participatione sanctificans. Quare si quis immaculati corporis in synaxis tempore esse particeps voluerit, & offerre se ad communionem, manus in crucis formam figurans sic accedat, & gratiæ communionem accipiat. Eos enim qui ex auro, vel ex alia materia quædam loco manus receptacula efficiunt, ad divini muneris susceptionem, & per ipsa immaculatam communionem recipiunt, minimè admittimus, ut qui inanimatam subjectamque materiam Dei imagini præferant. Si quis autem deprehensus fuerit immaculatam communionem iis impertiens, qui ejusmodi receptacula afferunt, & ipse segregetur, & is qui affert.

SCHOLION.

Ex hoc Canone habemus, quod in quibusdam Ecclesiis mos invaluisse ut communicantes quibusdam instrumentis seu receptaculis, ex auro vel alia materia, immaculatam communionem reciperent; & ab initio quidem, ait Balsamon, hoc fortasse à quibusdam propter pietatem excogitatum est, fortassis existimantibus manum non esse dignam Dominicum Corpus suscipere, quæ turpia quædam & indigna tangit.

Verum, uti notat idem Balsamon, „procedente tempore ad animæ perniciem conversa est pietas, utpote iis qui illa faciunt pauperioribus præferri quærentibus, & se alioquin arroganter & insolenter jactantibus.“

Morem ergo hunc Synodus improbens voluit unum eundemque ritum ab omnibus in suscipienda sacrâ Communionem servari, quem his verbis expressit. Si quis immaculati corporis in synaxis tempore, esse particeps voluerit, etiam antequam ejus fiat communio, manus in crucis formam figurans, sic accedat, & gratiæ communionem accipiat.

Eundem ritum non obscure commemorat S. Cyrillus Hierosolymitanus, *Cateches. 5. Mystagog.* scribens. „Accedens ad communionem non expansis manuum velis accede, neque cum distinctis digitis, sed sinistram velut sedem quandam subjiciens dexteræ, quæ tantum Regem susceptura est, & concavâ manu suscipe corpus Christi, dicens amen.“

Et clarioribus terminis seculo VIII. hujus ritus meminit Damasc. *lib. 4. orthodox. fidei, cap. 14.* „Ardenti cupiditate ad eum adeamus, manibusque in crucis formam compositis, crucifixi corpus suscipiamus.“

Plurima tum Orientalium, tum Latinorum Patrum testimonia profert Cardinalis Bona, *lib. 2. Rerum Liturgic. cap. 17. num. 3.* quibus ostendit, quod „ipsa sacra Communio, antiquo ritu, non ore excipi soleret, uti hodie fit, sed manu, quam qui susceperat, ori reverenter admoveret.“

Monet ibidem eruditus Cardinalis dicens, „ex hujus ritus ignorantia quidam apud Galanum in conciliatione Ecclesiæ Armenæ cum Romanâ, parte 1. pag. 132. inter errores Iberorum, quos

S. Eucharistia manu excipienda.

Eund. ritum commemorat S. Cyrillus Hierosolymitanus.

Item Damascenus.

Cardin. Bona.

„quos nunc Georgianos vocamus, hunc enumerat: aliquibus diebus festivis, multi Sacerdotes „Missæ sacrificio adstantes communicant, sed Eucharistiam ab Episcopo celebrante recipiunt in „propriis manibus, quam ipsimet proprio apponunt ori.“

Mos iste sensim & variè mutatus.

Quàm multi hodie simili ignorantia laborantes non reperiuntur; qui quidquid à Scholasticis, aut modernis Ritualibus, quibus unice incumbunt, dissonum sibi apparet, pro noxia novitate, aut periculoso errore reputant, imò tanquam nascentem penè hæresim proclamant!

Porro testatur Balsamon hinc, suo tempore, in quibusdam Ecclesiis, Laicis datam communionem, nec eis in manus traditam. „Nec mireris, ait, „nec causam rogaveris propter quam in quibusdam Ecclesiis datur Laicis sanctum Christi corpus, nec in manu traditur, ut hoc Canone continetur: recta enim fides & Dei timor, & ab omni suspicione aliena pietas, hoc tradidit, non „Laicorum indignitas.

Cum de solis Laicis loquatur Balsamon, verisimiliter Sacerdotes, Diaconi, aliique Clerici adhuc manu suâ Eucharistiam excipiebant. Ritum enim hunc non fuisse quoad Laicos & Clericos uno eodemque tempore mutatum, evincit antiquus codex Ritualis ad usum Ecclesiæ Latinæ à Morino in opere de SS. Ordinationibus parte 2. laudatus & annorum 700. ætatem, ut putat, superans, in quo de clericorum communionem hæc præscribuntur: „Presbyteri & Diaconi osculando Episcopum „corpus Christi ab eo manibus accipiant. . . . Subdiaconi autem osculando manum Episcopi ore „accipiant corpus Christi ab eo.“

Hæc itaque à Balsamone indicatâ ratione, verisimiliter sensim inductus est mos, ut corpus Christi communicantibus in os detur, nec manu recipiatur.

CANON CII.

Oportet autem eos, qui solvendi & ligandi potestatem à Deo acceperunt, peccati qualitatem considerare, & ejus qui peccavit ad conversionem promptum studium, & sic morbo convenientem afferre medicinam: ne si in utroque immoderatione utatur, ab ejus, qui laborat, salute excidat. Non enim simplex est morbus peccati, sed varius & multiformis, & multas incommodi propagines germinans: ex quibus

malum multum diffunditur, & ulterius progreditur, donec viribus medentis consistat. Quare qui medicina scientiam in spiritu proficitur, oportet primum ejus qui peccavit, affectionem considerare, & sive vergit ad sanitatem, sive contra, propriis moribus provocat in se morbum, aspicere; quomodo ejus qua intercedit vitæ rationis conversionisque curam gerat: & si artifici non reluctatur, & ulcus animæ auget per impositorum medicamentorum adjectionem; & sic misericordiam, prout dignus est, impertiri. Omnis enim rationem inquit Deus, isque cui Pastoralis traditus est Principatus, ut errantem ovem reducat; & ei, quod est à serpente vulneratum, medeatur; & neque per desperationis præcipitia impellat; nec ad vitæ dissolutionem, & contemptum freno relaxet: sed unâ quidem omnino ratione, sive per acriora & astringentia, sive per molliora & leniora medicamenta affectioni resistat, & ad ulceris obductionem annitatur, fructus pœnitentiæ examinans, & sapienter dispensans & gubernans hominem, qui ad superiorem illuminationem vocatur. Nos enim utraque scire oportet, & quæ sunt summi juris, & quæ sunt consuetudinis: in iis autem, qui extrema non admittant, sequi formam traditam, quemadmodum sanctus nos docet Basilus.

SCHOLION.

Quod præsens canon pluribus exponit, hoc paucis comprehendit concilium Lateranense IV. omnis utriusque sexûs & de pœnit. & remiss. Sacerdos autem sit discretus & cautus, ut more periti Medici superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias, & peccati: quibus „prudenter intelligat, quale debeat ei præbere „consilium, & cujusmodi remedium adhibere, „diversis experimentis utendo ad salvandum „ægrorum.“

Hi, aliique his conformes Canones clamant, quanta prudentia, ac scientia non humana, sed divina potius requiratur in animarum directore; quodque non tantum de Officio Pastorum, sed & Confessariorum dici queat cum S. Gregorio: *Ars artium cura animarum Angelicis humeris formidanda.* Past. cur. p. 1. c. 1.

Pœnitentis & peccati qualitates sollicite attendendæ.

DISSERTATIO

In Synodum OEcumenicam septimam sive Nicenam secundam, ejusque Canones.

§. I.

De Actis in causâ Iconoclastarum ab initio seculi octavi regnante Imperatore Leone Isauro usque ad Synodum Nicenam secundam.

Iconoclastarum hæresim Synodo septimæ OEcumenicæ occasionem dedisse notorium est. Hæresis hæc ortum suum habuit sub initium seculi octavi regnante Imperatore Leone Isauro.

Hic enim Judæorum quorundam præstigiis incertam spem adductus imperii; ubi compos est factus, ut se gratum illis exhiberet, primo quidem Christi effigiem, quæ supra portam æneam Urbis Constantinopolitanæ in excelso illustri loco

steterat, & à populo, freudentibus Judæis, honorificè multo tempore culta fuerat, deturbari jussit anno imperii sui decimo. Hinc populus Regiæ Urbis dolore vehementi ac irâ percitus, primum ipsum Leonem invadere cepit, tum plures ipsius ministros trucidavit, atque inter alios à mulieribus satelles, cui de jiciendi imaginæ cura mandata erat, è scala dejectus occubuit: quo factum est, ut & ipsæ gladio necarentur, alii verò inter viros pro sacro imaginum cultu pugnantes, exilio, proscriptione bonorum, aliisque suppliciis afficerentur, uti latius hæc recitantur à Cedreno, & in actis S. Stephani junioris apud Surium ad diem 28. Novembris.

Dum hæc adversus sacras imagines moliretur Leo, Sedi constantinopolitanæ præerat S. Germanus, ad Leonem

Acri Epistola Gregorii II. ad Leonem

Hæresis Iconoclastarum initio seculi VIII. sub Leone Isauro persecutore.

nus, qui non tantum hisce Imperatoris ausibus fortiter restitit, sed insuper de omnibus certior reddidit Gregorium II. Romanum Pontificem.

De his certior factus Gregorius, duas epistolas dedit ad Leonem, quarum primam eaque prolixiori ipsi imprimis significat, quod plures ipsius majestatis litteras plane orthodoxas acceperit. "Cumque isthac accepissemus (ait) gratiarum actionis Hymnos Deo offerrebamus, quod a Deo tibi plane donatum esset imperium. Et cum recte curreres, quis auribus tuis insonuit, & cor pervertit, ut arcum pravum, & in ea qua a tergo sunt respexisti? Decem annos Dei benignitate recte ambulasti, neque sacrarum imaginum mentionem fecisti: nunc autem dicis, eas idolorum locum implere, atque illos, qui eas venerantur idololatras esse, teque ad eas evertendas penitusque delendas convertisti."

Acri admodum stylo post hac perstringit Imperatorem, atque inter caetera ait: "neccesso habemus crassa tibi & indocta scribere, ut indoctus es, & crassus, sed revera tamen virtutem ac veritatem Dei in se continent. Per Deum te obtestamur ut arrogantiam deponas; ac superbiam qua circumfluis, multaque cum humilitate sincerè nobis aures accommodes."

Deinde multa adducit, quibus probare contendit, usum imaginum ab ipsis exordiis Ecclesiae fuisse; & primos Christianos habuisse imagines Christi: SS. Jacobi, Stephani aliorumque martyrum, quorum facies cum vidissent (ait) depinxerint; & his conspectis deinceps in toto terrarum, orbe homines, derelictis diaboli adorationibus has exhibuerunt non latræ, sed habitudine. "Adducit quoque in argumentum hujus cultus, imaginem, qua a Christo dicitur missa ad Abgarum Regem Edessæ, aitque, Christum Regis istius epistolæ manu sua responsum, & sacram gloriosissimamque FACIEM ad eum misisse."

Præterea dicit, Filium Dei postquam carnem propter nos assumere dignatus est, & visibilis in terra apparuit, potuisse depingi, imò ait, quod homines qui Jerosolymam ex variis regionibus accurrerant; cum Dominum vidissent, prout viderant, spectandum ipsum proponentes depinxerunt."

Tum sibi objiciendo quærit: "cur tandem Patrem Domini Jesu Christi non oculis subjicimus, ac pingimus?" respondet, "quoniam quis sit non novimus, Deique natura spectanda proponi non potest ac pingi. Quod si eum intuiti fuissetus ac novissetus prout filium ejus, illum quoque spectandum proponere potuissetus ac pingere."

Ex his evidens est, eo tempore nondum admittas fuisse imagines sanctissimæ Trinitatis, nec Patris aut Spiritus sancti, (a) quod & vidit Card. Baronius, monens propterea in nota marginali ad citata Gregorii verba: "Postea usu venit, ut pingatur in Ecclesia Deus Pater & Spiritus sanctus, non quod sub aspectu cadant, sed uti apparuisse in Divinis scripturis leguntur sub forma senioris & sub imagine columbæ: quod enim

[a] Quarto tamen sæculo testabatur S. Amphilochius quod S. Basilii apud Græcos columnas Spiritum S. representantes suspensas habuerit: legitur s. seculo quod S. Paulinus apud Latinos in Basilica S. Felicis sanctissimæ Trinitatis imaginem depingi permiserit. At diffiteri non possumus quin eas imagines a plurimis Patribus fuerint improbatæ; quia ipsis periculum videbatur, ne eis latræ cultus impenderetur.

describitur idem & pingitur, cum sit eadem ratio utriusque, styli nimirum & penicilli."

Quando autem usus imaginum sanctissimæ Trinitatis admittus sit, incertum est; fateturque ingenuè Christianus Lupus se ignorare quando hic usus incæperit, asseritque tempore Nicolai I. id est, sub medium seculi noni nondum fuisse illum usum. Videri possunt quæ dixi in *jure Eccl. tom. 1. parte 2. sect. 2. tit. 2. aliàs 16. cap. 1.* ibi quoque notavi, qua cautione hodie imagines illæ sint proponendæ.

Ad epistolam Gregorii revertamur. Scribit Gregorius quod Imperator in justificationem destructionis imaginum diceret, Catholicos lapides & parietes ac tabellas adorare: respondet Gregorius: "non ita est, ut dicis, Imperator, sed ut memoria nostra excitatur & ut stolidæ & imperiosa crassaque mens nostra erigatur & in altum provehatur per eos. quorum hæc nomina, & quorum appellationes, & quorum hæc sunt imagines."

Asseritque præterea quod fideles imagines non colant tanquam Deos non enim (ait) spem in illis habemus. "Ac si quidem imago sit Domini, dicimus: Domine Jesu Christi fili Dei succurre & salvanos. Sin autem sanctæ Matris ejus, dicimus: sancta Dei genetrix Domini mater intercede apud Filium tuum verum Deum nostrum, ut salvas faciat animas nostras. Si sit Martyris, dicimus, intercede pro nobis."

Monet ipsum Leonem: "Scis Imperator sanctæ Ecclesiae dogmata non Imperatorum esse, sed Pontificum, quæ tutò debent dogmatizari. Idcirco Ecclesiis præpositi sunt Pontifices à Reipublicæ negotiis abstinentes & Imperatores ergo similiter ab Ecclesiasticis abstineant, & quæ sibi commissa sunt capeant."

Postulaverat Leo congregari concilium: respondit Papa: *Et nobis inutilis ea res visa est: Tu persecutor es imaginum, hostis contumeliosus & everfor. Cessa, nobis largire hoc ut taceas: tum Mundus pace perfruetur, & scandala cessabunt.*

His litteris minacibus receptis, Leo sententiam non mutavit, sed insolentior factus, rescribit Pontifici, *Imperator sum & Sacerdos.* Gregorius ipsi respondens per secundam epistolam, agnoscit, Imperatores ejus prædecessores opere & sermone demonstrasse, se esse *Imperatores & Sacerdotes: qui condiderunt & curam gesserunt Ecclesiarum una cum Pontificibus cupiditate zeloque incensi, recteque fidei veritatem pervestigantes...* & cum Pontificibus uno consilio ac sententia Synodos congregantes, atque veritatem dogmatum perquirentes, sanctas Ecclesias constituerunt & ornarunt. Hi sunt Sacerdotes & Imperatores qui id opere demonstrarunt.

Post hac dicit, quod ipse Leo eam sibi dignitatem arrogare non possit, utpote, qui definitiones Patrum non custodisset, & Ecclesias suis ornamentis spoliet, & imagines, quibus homines ædificantur, mentesque suas & corda ad Deum erigunt, destruat.

Rursum eum monet, ut cessaret, & sanctam Ecclesiam sequeretur, prout invenerat, atque acceperat. "Non sunt, ait, *Imperatorum dogmata, sed Pontificum;* quoniam Christi sensum nos habemus. Alia est Ecclesiasticarum constitutum institutio, & alius sensus secularium..... nam quemadmodum Pontifex introspectendi in Palatium potestatem non habet, ac potestates Regias deferendi, sic neque Imperator

Quid sit legitimus cultus imaginum;

Utriusque potestatis discreti termini;

Gregorius judi at inutile fore pro hac causa Concilium generale, Leo fit in, solentior ad quem

Gregorius scribit secundam Epistolam laudatque ejus prædecessores

Imperatores non habent Ecclesiasticam potestatem;

„in Ecclesias introspicendi, & electiones in Cle-
ro peragendi; neque consecrandi, vel symbola
sanctorum Sacramentorum administrandi; sed
neque participandi absque opera Sacerdotis, sed
unusquisque nostrum in qua vocatione vocatus
est à Deo, in ea maneat.“

Dein ipsi exponit terminis vehementioribus
suam duritiam & persecutiones, & tyrannidem,
rursusque hortatur ut se submittat. „Ecce nunc
hortamur (inquit) pœnitentiam age, & con-
vertere, atque ad veritatem regredere: sicut in-
venisti & accepisti, custodi.“

Scripterat quoque Imperator: *qui sit ut in sex
Conciliis de Imaginibus nihil sit dictum?* Res-
pondet, eas adeo fuisse vulgatas & usitatas, ut
de iis loqui necesse non fuerit. „Ipsi Pontifices
imagines ad Concilia deferebant (ait) nec ullus
ex Christi amantibus ac Religiosis hominibus
iter peragens, absque imaginibus peregrinatio-
nes obibat, utpote qui virtute præditi, atque
apud Deum probi essent.“

Denique hortatur Leonem, ut se suo & Germa-
ni Patriarchæ Constantinopolitani iudicio sub-
mittat. „Utpote (ait) qui potestatem à Domino
acceperimus & auctoritatem terrena cælestia-
que solvendi ac ligandi, teque ab hac cura quie-
tum præstabimus.“ Utraque habetur *tomo 7.
Conciliorum apud Labb, coll. 7. & seqq.*

His nihilo mitior factus Leo, die septimâ Jan-
uarii anni 730. convocatis in aulam suam qui-
busdam Episcopis, accersito quoque S. Germa-
no Episcopo Constantinopolitano edictum pro-
mulgavit, *ut nulla imago* cujuscumque Sancti aut An-
geli ubicumque haberetur, sed omnia jussert de-
poni & incendi.

Hujus autem edicti subscriptionem cum nulla-
tenus à sancto Germano impetrare posset, ipsum
è Throno Constantinopolitano dejecit. Is vero
cedens violentiæ & persecutioni, pallium in sacra
mensa deposuit dicens: *Si ego sum Jonas, projici-
te me in mare. Nam extra universalem Synodum
novi aliquid de fide statuere nequeo, ô Imperator.*

Sancto Germano in Sede Constantinopolitana
suffectus fuit operâ Leonis, Anastasius Syncellus,
Imperatori in causa abolitionis imaginum con-
sentiens.

De his certior factus Gregorius Papa vidensque
Imperatorem in sua semper pertinacia persistere,
atque orthodoxæ fidei defensores crudeliter per-
sequi, habuit Synodum Romæ convocatis quoque
vicinis Episcopis, in qua fines Catholica de cultu
imaginum confirmatur. Et ne quis (ait) aliter
propter *adorationem*, quæ à Prædecessoribus no-
stris præsulibus promulgata est, oblatrare præsu-
mat; sciat, ipsos *ADORATIONEM docuisse,*
*qualem Prædecessor noster S. Gregorius in epistola
sua docuit.* Extat ibid. *tomo 6. Concil. col. 1460.*
De doctrina S. Gregorii circa cultum imaginum
infra erit locus differendi.

Interim ex relatis verbis intelligitur quod & in-
fra amplius patefcet, præcipuum Iconoclastarum
offensionis lapidem fuisse, verbum *adorationis*
quo Catholici in suis de cultu imaginum expref-
sionibus subinde utebantur.

Præterea in hac Synodo: „Gregorius qui tum
Romæ veteris Ecclesiam gubernabat (ait Zona-
ras) repudiata societate Præsidis novæ Romæ
Leonis scilicet Imperatoris, nec non eorum
qui illum sequerentur, illos unâ cum Imperato-
re Synodico anathemate obstrinxit, & vectigalia
quæ ad id usque tempus Imperio impendeban-
tur, inhibuit, icto cum Francis fœdere.“

Van Espen Oper. Posth. Pars II.

Anno sequenti defuncto Gregorio II. suffectus
est ipsi in Sede Romana Gregorius III. Hic mox
à suscepto Pontificatu, Commonitorias litteras
per Georgium Presbyterum scripsit ad Leonem
Imperatorem, quibus eum ab hæresi avocare co-
nabatur.

Verùm minis & ferociâ Leonis perterritus hic
Presbyter, re infectâ Romam rediit, ac deum
timiditatis suæ pœnitentiâ peractâ, rursus anno
sequenti scilicet 732. cum eisdem litteris ad Im-
peratorem ire voluit. At Imperator, cum de ejus
reditu Constantinopolim certior esset factus, ip-
sum in Sicilia detineri jussit, ablatisque scriptis,
in exilium relegavit, ut scribit Anastasius Biblio-
thecarius in vita Gregorii III.

His intellectis, Gregorius Papa eodem anno
coacta Romæ Synodo 93. circiter Episcoporum,
Clero, Senatu, populoque Romano præ-
sentibus, synodicum promulgavit Decretum: „Ut
si quis deinceps antiquæ consuetudinis, & Apo-
stolicæ Ecclesiæ tenentes fidelem usum, con-
temnens adversus eandem venerationem sacra-
rum imaginum, videlicet Dei & Domini nostri
Jesu Christi, & genetricis ejus semper Virginis
immaculatæ, atque gloriosæ Mariæ, beatorum
Apostolorum & omnium Sanctorum depositor,
atque destructor, & profanator vel blasphema-
tor extiterit, sit extorris à corpore & sanguine
Domini nostri Jesu Christi, vel totius Ecclesiæ u-
nitate atque compage, quod & subscriptione suâ
solemniter universi firmaverunt.“

Sed neque hoc Synodali Decreto, neque itera-
tis ad Imperatorem Legationibus, quidquam pro-
fectum est, uti scribit Anastasius in vita Gre-
gorii III. quin & crudelius in sacrarum imaginum
cultores exarsit; pluresque eorum diris suppliciis
vexavit, ac morti addixit, perseveravitque in hac
persecutione usque ad obitum suum qui contigit
anno 741.

Leoni successit filius ejus Constantinus, vulgò
Copronymus (a) dictus, quem impietatis suæ in
sacras imagines non minus, quam Imperii hære-
dem reliquit.

Præcipuè autem furorem suum contra cultores
imaginum ostendere cœpit circa annum 744.
quando prostrato exercitu Artabaldi, eoque cum
filiis suis trucidato, Imperio pacificè sine æ-
mulo potiri incepit.

Præerat tum Ecclesiæ Romanæ Zacharias Pon-
tiffex. Hic iteratis ad Imperatorem missis Legatio-
nibus, eum demulcere, & ad officium revocare
tentavit, sed frustra.

Licet enim aliquando videretur remissius agere
velle, animo tamen nihilo mitior factus, tandem
bello contra Saracenos prospere confecto, bellum
contra imagines earumque cultores instauravit
ardentius.

Anno itaque 754. Concilium Episcoporum
Constantinopolim convocavit; conveneruntque
ad diem statutum trecenti triginta octo Episcopi;
quorum primi erant Ephesus filius Absimati &
Pastillus Pergenses Episcopi, ut refert Theophanes.

Legitur in actis Stephani junioris, quod cum
ad Blachernensem Deiparæ Basilicam Iconoma-
chi convenissent Antistites, ambonem conscen-
disse Imperatorem Copronymum, & Constanti-
num Monachum Sylæi in Pamphylia Episcopum,

[a] Copronymus, id est stercoreus; istud cognomen
huic principi inditum est à stercore, quod in sacrum fon-
tem emisit, cum infans baptizaretur.

tenuit
Gregor.
Gregori-
us III.
mittit
Commo-
nitorias
ad Leonem
Lator E-
pistolæ in
exilium
relegatur.

Conciliū
Rom. an.
732 pto
venerati-
one ima-
ginum.

Leo per-
git in ru-
enta sua
persecuti-
one usque
ad 741.

Constan-
tinus Co-
prony-
mus per-
secutor i-
maginū,
&c.
Zacharias
Papa
Rom.

Concilia-
bulum
Episcoporum
an. 754.

Leo pro-
mulgat
edictum
adversus
imagines.

S. Germa-
nus di-
mittit Ep-
iscopatu
C. P.

S. Germa-
no suffi-
tur Ana-
stasius.

Conciliū
Romanū

Verbū
adoratio-
nis fuit
offendi-
culum I-
conoclas-
tarum.

Synodus
Rom.
Leonem
excom-
municat
cum suis
civec-
tigalia

Patriarcham Constantinopolitanum proclamasse, his verbis. *Constantino Patriarchæ O Ecumenico, multi anni.* Dein uti legitur in actis, Imperator cum novo hoc Patriarcha in forum est progressus, & coram universo populo sententiam in hoc Concilio stabilitam promulgarunt, anathema dicentes imaginum cultoribus, ac defensoribus, notanter Germano Constantinopolitano antea Patriarchæ, Georgio Cyprio Episcopo, & Joanni Damasceno, quem per contumeliam *Manzur* appellarunt.

Acta hujus Concilii una cum eorum refutatione inserta sunt actioni sextæ Synodi VII. unde infra de his differendi occasio dabitur, dum de illa actione sexta agerur.

Leo IV. Imp. an- no 775. imagini- bus quo- que ad- versatur: Bellum in sacras imagines earumque cultores & defensores continuavit Copronymus usque ad annum 775 quo anno defunctus est. Ipsi successit filius ejus Leo IV. eodem impietatis morbo laborans, etsi principio ut subditos demulcere à Catholicorum persecutione abstinuerit, nullas interim imagines in Ecclesiis permittens introduci.

At circa annum Imperii sui quintum "cum Leo Proceres quosdam Aulicos divinas imagines adorantes deprehendisset, exuta pelle vulpina (ait Joannes Zonaras in Annalibus) latitans sub ea Leo in apertum se protulit, eosque crudelissimè excruciatos, ignominiosoque spectaculo per forum circumductos, cum prius pilis nudasset, in prætorium inludit, ubi eorum quidam animas suas in manus Domini deposuerunt. " Id ipsum compendiosè refert Paulus Diaconus, subdens, quod eodem anno mortuus sit Leo hoc modo: " Cum insaniret circa lapides, nimis adamavit coronam magnæ Ecclesiæ, & accipiens portavit eam, & exierunt Carbonculi in capite ejus, & captus à valida febre, mortuus est, cum regnasset annis quinque, diebus sex. "

Irene & eius filius Constantinus; cultores imaginum. Leone mortuo, Irene Augusta & filius ejus Constantinus, decimum ætatis annum agens, Imperium suscepere, qui cum essent sacrarum imaginum cultores, earum cultum paulatim restituere studuerunt, primum quidem permittentes omnibus libertatè amplectendi eam, quam vellent, opinionem de licito aut illicito imaginum cultu, neque eas hætenus restitui mandantes, abolentes duntaxat edicta Copronymi contra Catholicos imaginum cultores.

Quibus occasio- nibus restitutus cultus imaginum. Ad excitandam populi devotionem erga imagines non parum profuit, quod circa illud tempus accidisse & divulgatum esse narrant Zonaras, Cedrenus, & Paulus Diaconus; quorum postremus, seu potius *Landolphus* cognomento *sagax* Pauli Diaconi historiarum libro 23. ad annum 774. qui est primus Irenes & Constantini ejus filii hæc scribit: " hoc etiam anno in longis Thracæ muris, quidam homo fodiens invenit arcam lapideam, quam cum purgasset, & revelasset, reperit vitrum jacentem & conglutinatas arcæ litteras continentes hæc: "*Christus nascetur ex Virgine Maria, & credo in eum sub Constantino & Eirene Imperatoribus, o sol, iterum me videbis.* Extat tomo 13. Biblioth. Patrum maximæ p. 318.

Paulus Episcopus C. P. At anno quarto Imperii opportuna admodum oblata fuit occasio, cultum imaginum generali Decreto restituendi. Paulus enim, qui post Nicetæ obitum inauguratus fuerat Patriarcha Constantinopolitanus, infirmatus Thronum reliquit (inquit Paulus Diaconus) & descendens ad Monasterium Flori, Monasticum suscepit habitum Imperio ignorante. " Cum autem Imperatrix

"dedicisset, venit cum filio tristis & clamans "cur (inquit) hoc fecisti? At ille (Paulus Patriarcha) cum lamentis ait ad illam: utinam ne unquam in Sacerdotii throno sedissem, Ecclesiâ Dei tyrannidem patiente, præsertim cum scissa sit à reliquis universalibus sedibus & anathematizata. "

Mox Imperatrix adscivit Patricios & Senatus primores, quos sciebat in cultu imaginum non ita ac communem populum inclinatos, eosque misit ad Patriarcham audituros, quæ ab ipso dicebantur. Qui dixit ad illos: " nisi Synodus universalis fiat, & error qui est in medio vestri corrigatur, salutem non habetis. " At illi dixerunt ei: " Cur ergo Patriarcha designatus, inter ordinationis solemnias, imagines te nunquam adoraturum subscripsisti? " tum ille: " Idcirco lamentis afficior & ad pœnitentiam curro, deprecaturus Deum, ne me sicut Sacerdotem judicet & cruciet, qui tacuerim usque nunc, & præ timore furoris vestri non prædicaverim veritatem. "

Vix hæc dixerat & publicè professus erat, cum spiritum emisit, & in pace obdormivit.

Hic eventus & publica hæc veritatis professio, & erroris retractatio facta à Patriarcha jam jam coram divino Tribunali deducendo, mirum in modum omnes adstantes perstrinxit, animosque addidit Imperatrici, ulterius se circa cultum imaginum declarandi: Quapropter jam edicto publico declaravit, liberum esse Catholicis, Catholicam veritatem de *cultu imaginum publicè prædicare*, & in publicis disputationibus & collationibus errorem Iconoclastarum refutare.

Post hæc, Imperatrix, fæmina non parum astuta in prævidendis mediis opportunis ad finem sibi propositum pertingendi, vidit nihil fore opportunius ad restituendum sacrarum imaginum cultum, quam Sedi Constantinopolitanæ præponere Patriarcham, qui cultui huic promovendo & restaurando esset zelosus.

Porro neminem ad id operis perficiendum capaciorum invenit, quam *Tarasium*, qui tum ip-
C. P. Tarasius Patriarcha

Hic itaque in conventu Senatorum, Nobiliū totiusque populi præsentibus Imperatoribus, ac Irene perorante, communi acclamatione in Patriarcham fuit postulatus.

Hic cum adhuc esset Laicus, munus illud, cui se imparem dicebat, diu ac pertinaciter recusabat, donec tandem Imperatrice instante, illud suscepit eâ conditione, ut Synodus *generalis* indiceretur, ut ita in unum omnes convenientes, una ubique fides circa cultum imaginum prædicaretur. Cui conditioni Imperatores totusque conventus assenserunt, consentientes, ut Synodus universalis haberetur.

Primum ut Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus inauguratus est (a), de congreganda Synodo seriò allaborari captum est: de cujus indictione & congregatione nunc paucis agendum.

§. II.

[a] An 784. ipso die natali Christi Domini, Episcopatum iniit Tarasius, cum ad Adrianum Papam jam directæ essent litteræ de OEcumenica Synodo congreganda.

